36. 13. B. 14

CENTRALE V. E. II

NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
36
13
C
14
ROMA

X
II
29

36.13.C.14

CVRTII PICHENAE, SERENISSIMI MAGNI DVCIS ETRVRIÆ A SECRETIS, AD CORNELII TACITI *Opera Notæ, iuxta veterrimorum exemplarium collationem.*



Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium & Jo. Aubrium.
M D C.
Cum grat. & Priuil. S. Caeſ. Maieſt. ad ſexennium.

Bibliothecæ Domus Romanæ Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

36.13.c.14.

SVMMA PRIVILEGII.

CÆSAREAE Maieſtatis priuilegio cautum eſt ANDREAE WECHELI heredibus, CLAVDIO MARNIO, & IOANNI AVBRIO, ne quis has CVRTII PICHENAE ad Cornelii Taciti opera Notas, intra ſacri Romani Imperii & omnium regnorũ ac prouinciarum imperialium fines, eodem vel alio charactere excudere, aut vbicunq; recudendas dare, aut alibi impreſſas importare, vendere vel diſtrahere palam vel occulte auſit. Idem priuilegium eis conceſſum de aliis etiam auctoribus in philoſophica, medica, & iuridica facultate, aliisque diſciplinis liberalibus, ad ſex cuiuſque editionis annos. Quod ſacræ Maieſtatis interdictum ſi quis neglexerit, non modò libris expreſſis, verum etiam inſuper decem marchis auri puri, imperiali fiſco, fraudis vindici & dictis Wecheli heredibus, ex æquo ſoluendis, mulctabitur, vt latius in Cæſareo diplomate declaratum eſt. Dato Viennæ 25. menſis Maii, anno Domini 1582.

RVDOLPHVS.

V. Io. Bapt. Weber.

Ad mandatum S. Cæſ. Maieſt. proprium.

P. OBERNBVRGER.

NOBILISSIMO VIRO IVLIANO MEDICI, RAPHAELIS FILIO, CVRTIVS Pichena, S.

VILE *munus, humaniſſime Iuliane, atq; vt ſuſpicor, oneri potius quàm honori futurum accipienti. Qualecunque tamen, debitũ tibi præcipuè fuit. Nam tu præcipuus mei laboris laudator, cauſſam cõmunibus amicis dediſti, vt, tecum ſimul, me ad editionẽ hortarentur. Tu Franciſci Aui tui Codicem mihi cõmunicando, opus meũ, & iuuaſti & auxiſti. Tu, vt omnium bonarũ literarum ſtudioſiſſimus, ita Cornelij Taciti es maximus amator. Accedunt etiam plurima parentis tui beneficia, quibus adeò me ornari quotidie ſentio, vt hanc grati erga te animi propenſionem teſtari debuerim. Hanc ſaltem ne ſpernas, amoriſque viciſſitudinem, vt ſoles, conſtanter tueare. Florentiæ,* XV. *Kalend. Maij,* M D C.

CLAVDIO MARNIO TYPOGRAPHO FRANCO-FORDIENSI, CVRTIVS *Pichena S.*

ECce tibi, clariſſime Typographe, quas ad Cornelium Tacitum Notas promiſeram. Impulit me, pręter veterem inter nos amicitiam, exquiſita quædam diligentia, quam in omnibus editionibus tuis adhibes, vt nihil deſiderari poſſit. Idque ego maxime ſum expertus, qui dum in Aula Cæſaris diu agerem, libros tuos mihi auidè paraui. Nec meus hic labor tanti eſt, vt abſolutiſſimam curam exigat: exigit tamen ipſe autor Tacitus, qui adeo excellit, vt quicquid in eo minuſculum obſeruetur, fortaſſe non ſit negligendum. Florentiæ, xv. Kal. Maij, M D C.

Ad Lectorem.

PRÆMONENDVS es *Lector*, *me, dum Cornelium Tacitum iam diu in manibus, imo in delitiis habeo, nonnulla in eo, ſed mihi tantum adnotaſſe. Nuper autem accidit, vt cum Riccardo Thomſonio nobili Anglo, multiplicis eruditionis, ac perſpicacis ingenii viro, qui Florentiæ morabatur, amicitiam contraxerim. Qui cum Notas meas forte vidiſſet, ac probaſſet, vt ederem ſuaſit. Ego contra, repugnare, ne in Muſtaceo, vt aiunt, laureolam quærere viderer. Tandem, aliis etiam amicis idem exigentibus, annuere cœpi. Ac dum in ea cogitatione verſarer, mihi conſilium ſubiit, antiquiſſima duo Taciti exemplaria manuſcripta, quæ Florentiæ in Medicea Bibliotheca religioſe aſſeruantur, conferre. Vnum, idemque in orbe terrarum vnicum, Leonis* x. *Pont. Max. tempore in Germania repertum, priores Annalium libros cõtinens, qui antea deſiderabantur. Alterum vero vetuſtiſſimum, priſcis characteribus, quos Longobardicos, falſo, vt opi-*

nor, appellant, exaratum: quæ enim Longobardorum eo tempore in Italia mentio, cum illius codicis antiquitatem conſtet eſſe annorum vltra mille ducentorum? Nam cum eidem ſit adnexus Apuleii liber, eadem, vt videtur, manu, iiſdemque characteribus ſcriptus; in fine ſingulorum fere librorum ſubſcribit ſe Criſpus quidam Salluſtius, atque vno in loco his verbis: Ego Salluſtius legi & emendaui Romæ fœlix, Olibrio & Probino conſulibus, in foro Martis controuerſias declamãs Oratori Endelechio. Rurſus Conſtantinopoli recognoui, Cæſario & Attico conſulibus. *At Olibrius & Probinus conſules fuerunt eo anno, quo Theodoſius Imperator obiit, id eſt à Chriſto nato 395. Cæſarius autem & Atticus conſulatum inierunt, Arcadio iam & Honorio regnantibus, anno Chriſti 397. vt autor eſt Onuphrius Panuinius faſtorum lib. 3. Ex eorum igitur diligenti collatione, mirum quanta meis Notis acceſſio facta eſt. Atq; vt alterũ ab altero diſtinguatur, priorem, Manuſcripti; ſecundum, Florentini nomine appellabimus. Acceſſit etiam tertius liber, Venetiis excuſus, anno 1497.*
mendo-

mendoſus quidem, eoque fidelior, qui mihi non paruo vſui fuit. In paginarum ordine ſecutus ſum recentiorem Pariſianam editionem, anni præteriti 1599. Qui vero copiam illius non habebit, ſui quiſque Codicis paginis, Notas accommodare paruo labore poterit. Miraberis Lector, me aliquando à Lipſio diſſentire. ſcias, illius tanti viri ſummam eſſe apud me authoritatem, vt qui Reipub. literariæ maximo fuerit, & ornamento, & adiumento. Sed, vt in cæteris, ita in his ſua cuique ſententia: ac ſi mihi ipſum audire contingeret, fortaſſe cum illo ſentirem. Sunt etiam multa, quæ aliunde ex Lipſio, Rhenano, Mureto, aliiſque collegi, ac in meis Notis, ipſorum teſtimonio inſerui, ad tui faciliorem vſum. Si vero in his conſcribendis Oratione vſus ſum, vt tu quidem videre poteris, ſatis tenui, & inornata, ne mireris. ego enim ab ineunte ætate, potius in Principum negotiis, quam in Latini ſermonis elegantia conquirenda, ſum verſatus, ideoque craſſa, vt aiunt, minerua, ſtyloque minime elaborato, meos explicare ſenſus, nec puduit, nec forte res ipſa aliter poſtulauit. Poſtremo edico, ac prædico, me neque veteranis hæc, neque me-

diocriter doctis ſcripſiſſe, ſed tirunculis tantum, qui à Taciti Lectione, ob multa quæ in eo ſunt deprauata & obſcura, deterreri ſolent. propterea nonnullas difficiliores ſententias, leui quadam interpretatione clariores reddere conatus ſum. Ac ſi cui profecero, grande laboris mei pretium feram.

CVRTII

CVRTII PICHENÆ, SERENISSIMI MAGNI DVCIS ETRVRIÆ A ſecretis,

Ad Cornelij Taciti Opera, Notæ.

Annalivm Lib. I.

EX Manuſcripto Codice, priores hos quinque libros continente, cuius in præfatione memini, nō ab re erit, Lectorem de nonnullis vocibus ac verbis præmonere, quæ ibidem diuerſo ac in vulgatis more ſcripta vbique reperiuntur. Nimis leuia hæc: fortaſſe tamen non negligenda. Sunt igitur ſequentia. *adoleſcens. exſuere. valitudo. repperire. cunctari, percunctari. ſumptus. promptus. promiſcus,* & *, promiſci. deligere,* & *, delectus. quotiens. totiens. beniuolentia. epiſtula. intellegere. ſocordia. antire. prenſare, tripertitus. haud,* ſæpius quam *haut.*

4 *Ægro & corpore fatigabatur.* Cum ſæpe in veteribus libris erratum hoc animaduerterim, &, pro, *etiam*; legendum hîc puto, *ægro etiam corpore fatigabatur.*

6 *Conſules, Patres, Eques.* Vt omnes pluraliter nominarentur, videretur etiam legendum, *Equites.* Obſeruaui tamen, frequentem apud Tacitum eſſe huius vocis vſum in ſingulari numero. Sic infra, pag. 462. *non ſenatus modo & eques.* 462. *& ſacerdotes, & ſenatus, & eques.*

Ne læti exceſſu principis, neu triſtiores primordio. Cum in Man. legatur, *triſtior*, vide an melius ſit, *triſtes*: præſertim cum præcedat, *læti.*

Lacrymas, gaudium, queſtus, adulationes, miſcebant. Muretus legebat, *lacrymas gaudio, queſtus adulatione:* idque Lipſio probatur. Addo ego, hanc Lectionem cum Manuſcripto fere congruere, qui habet, *queſtus adulatione.*

6 *Cauſſa præcipua ex formidine.* Sunt qui hæc referant ad feſtinationem Tiberij, qui ſcilicet metuebat, ne ſi ipſe cunctaretur, Imperium Germanicus præoccuparet. Sed ſi attendas, ſequentia non cohærent, cum verba illa, *dabat. & fama,* afferant ſecundam cauſſam, quæ priori coniungitur. Mihi videtur, cauſſam illam præcipuam referri ad Tiberij cunctationem, id eſt ſimulatam quandam modeſtiam ac reuerentiam erga Patres, donec ipſorũ autoritate, Principatus ei ſtabiliretur. Tres deinde illius cunctationis cauſſæ aſſignantur. Metus præcipue, ne,

ne,ſi ipſe autoritatem ſenatus ſpreuiſſet, Ger-
manicus accerſeretur. Aliæ duæ cauſæ per ſe
claræ ſunt.

Hi pietate erga parentem, & neceßitudine rei- 8
publicæ. Quidam interpretantur neceſſitudi-
nem, pro coniunctione, qua ſcilicet deuinctus
reipublic. Auguſtus, plurimum illi deberet: At
ſententia requirit, vt accipiatur pro neceſſitate
& anguſtijs. quod clare oſtendunt verba quæ
paulo poſt ſequuntur: *pietatem erga parentem,*
& tempora reipubl. quæ verba ad ſuperiora hæc
reſpondent. Sic infra lib. 6. pag. 218. *ſeque ea ne-*
ceßitudine ad preces cogi.

Multa Antonio, vt interfectores patris vlciſce-
retur. Man. habet, *multa Antonio, tunc interfe-*
ctores. Emenda ergo, *dum interfectores.* dum, pro
dummodo; notiſſimo vſu. Sic infra, pag. 17. *dum*
interfectos nullum ob ſcelus, &c.

Siue milites Hirtium, & machinator doli Cæſar 9
abſtulerat. Delet Muretus particulam, *ſiue.* At
in Man. clare legitur, *ſui milites Hirtium.* quæ
quidem adeo vera lectio eſt, vt mirer, omnes,
qui librum illum contulerunt, id non anim-
aduertiſſe.

Grauis domui Cæſarum nouerca. Man. *gra-*
uius. forte legendum, *grauior.*

Gallum Aſinium auidum, & minorem. Mu- 11
reto aſſentior legenti, *auidum, ſed minorem.*

Quouſque patieris Cæſar non adeſſe caput rei- 12
publicæ? Aliter ac Lipſius hunc locum intelle-
xeram.

xeram. ſcilicet, offenſum fuiſſe Tiberium, non quod caput reipubl. nominaretur, ſed quod artes ſuas detegi à ſenatoribus videret, quas ipſe occulere maxime ſtudebat, quaſi dixiſſet Haterius: Quouſq; te rogari permittes? nimiũ nos detines ac ludificaris cum iſtis ambagibus tuis: noli amplius diſſimulare, ſed accipe iam Imperium.

Eiuſque accuratiſſimis precibus protegeretur. Man. habet, *curatiſſimis*, quod optimum cenſeo. Infra enim pag. 68. ait, *curatius differam.* 345. *ludos curatius editos.* 426. *diurna populi Rom. curatius leguntur.*

At hercle verbera & vulnera. Man. ſemper,
14 *hercule.* ſic ſupra pag. 3. *At hercule Germanicum Druſo ortum.*

Quem direptum vehiculo ſarcinis grauant. In
16 Man. legitur, *dereptum.* quod proculdubio rectius, cum ex altiori loco in inferiorem quis deturbatur.

Inuictus operis ac laboris. Quis commodum ſenſum eliciet ex voce, *inuictus*, quæ à Beroaldo repoſita fuit? Rhenanus legit, *attentus.* Alijs placet, *immitis*, quæ non minus corrupta cenſeo. Taciti mens videtur, Rufum illum, cum diu manipularis militaſſet, fuiſſe optime gnarum expertumque operum ac laborum. quem ſenſum nulla alia vox aptius exprimit, quam illa autori noſtro familiaris, id eſt, *vetus.* Infra enim pag. 209. dixit, *ſcientiæ caremoniarumque vetus.* 229. *vetus regnandi.* 659. *veterẽ expertumq; belli.* pag.

etiam

etiam 92. *veterem ſtipendii*, vt ego reſtitui, cum antea legeretur, *ſtipendiis.* ergo corrigendum cenſeo, *vetus operis ac laboris.* quod etiam ſimilitudo literarum ſuadet, cum in Man. vnico corrupte legatur, *intus operis.* contrarium etiam dixit Tacitus infra, pag. 245. *legiones operum ac laboris ignaras.* At cum nuper poſtremas Lipſij ad Tacitum notas mihi parauiſſem, hanc eandem correctionem ei quoque veniſſe in mentem animaduerti, optimoque exemplo Silij illam firmauiſſe: qui ait: *gnaros belli, veteresque laborum.* adeo vt nihil iam de illa ſit dubitandum.

Quia fracta vite in tergo militis. Apud Romanos, militari more, ipſi ciues verberabantur vitibus, extranei autem fuſtibus. Quod clare colligitur ex Liuij Epit. li. 57. Ait enim de Scipione ad Numantiam: *Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus, ſi extraneus, fuſtibus cecidit.* Plin. lib. 14. cap. 1. *vitis in delictis pœnam ipſam honorat.* Vnde centuriones in bello vitem geſtare ſolebant. 17

Mandata Clementi Centurioni quæ preferret. Man. *perferret.* 18

Proſpereq; ceſſura quæ pergerent. forte, *quæ peragerent.* 19

Et ſi qui alij bonis artibus grati in vulgus. Man. *& ſi alij.* 20

Ii vigiliis, ſtationibus, cuſtodiis portarum ſe inſerunt. Vigiliæ ſemper nocturnæ; ſtationes, ſiue excubiæ, & nocturnæ & diurnæ. Sic lib. 11.

pag. 245. *ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur.* Iſid. lib. 9. *Excubiæ diurnæ ſunt, vigiliæ nocturnæ.* At cuſtodiæ portarum à ſtationibus non differunt. ſupra enim, pag. 18. dixit: *portas ſtationibus firmant.* Cæſ. lib. 4. Gall. *Ii qui pro portis in ſtatione erant, Cæſari renunciarunt.* Virg. 9. Æneid.

Tunc quoq; communi portam ſtatione tenebant.

Et ſtationes videntur proprie eſſe, quæ hodie corpora cuſtodiarum vocantur.

22 *Orto ab vndeuiceſimanis quintaniſque initio.* Lipſius, qui Manuſcriptum non vidit, ex hiſtoriæ fide aſſerit, legendum eſſe, *vna & viceſimanis.* ego autem ipſius Manuſcripti autoritate idem confirmo. nam & hîc, & vbicunque inferius de illa legione fit mentio, ſemper in eo libro nominatur & ſcribitur, *vn & viceſima.*

Proſtratos verberibus mulctant. Ex ingenio repoſuit Lipſius, *mulcant.* Recte, quia non aliter legitur in Manuſcripto.

Sexageni ſingulos, vt numerum Centurionum adæquarent. Notat Lipſius hîc, in plena legione fuiſſe ſexaginta Centuriones. Idem in opere quod de Militia Romana elegantiſſime ſcripſit, lib. 2. dial. 5. & 8. hoc diſtinctius exponit. Triginta enim in vna legione manipuli, qui ex centum & viginti militibus conſtabant, & in vnoquoque manipulo duo Centuriones. Diuidebatur deinde manipulus in duas partes, quæ appellabantur Ordines, & cuilibet Ordini,

ni,

ni, id eſt ſexaginta militibus, vnus Centurio præerat.

Etſi vellet imperiū, promptos oſtentauere. Man. habet, *promptas.* forte legendum eſt, *promptum*: vt ad imperium referatur. Veteres enim plerunque ſcribebant, *promptus*, quod multos errores in Tacito peperit. 24

Quidam ſinguli propius incedentes. Muretus mallet, *accedentes.* 25

In ancipiti republica. Autoritate Manuſcripti reſtituo, *in ancipiti reſpublica.*

Largitio differebatur: in hiberna cuiuſquam non abſceſſere. Huius loci vitium à Ioſia Mercero animaduerſum & ſanatum fuit. Ait enim, æſtiua caſtra plures legiones vnum intra vallum habuiſſe: hiberna autem cuicumque legioni propria & ſeparata, vt paſſim teſtantur Tacitus, & Cæſar, & alij. Ergo legit, & diſtinguit: *largitio differebatur in hiberna cuiuſque. Non abſceſſere, &c.* Neque correctio hæc recedit à fide Manuſcripti; in quo clare legitur, *cuiuſque.*

Legiones nihil contatus ſacramento adigit. Optime Lipſius reponendum cenſet, *contatas*: ita enim habet Manuſcriptus. in quo tamen ſcribitur, *cunctatas*, vt ſupra monui. 26

Præſidium agitantes vexillarii diſcordium legionum. Quod genus militum eſſent hi vexillarij, adhuc mihi ignotum. Lipſius de militia romana lib. 1. dial. 8. ac lib. 5. dial. 19. eos fuiſſe tradit, exauthoratos milites, & nondum plene miſ-

ſos,

ſos, qui dum præmia & agros expectant, velut veterani & euocati quidam, à legionibus diſcreti, ad vexillum retinebantur, ideoque vexillarij dicti. ac de his capienda ſint verba Taciti de exauthoratis, pag. antecedenti: *miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauthorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, ceterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Idem quoque ſentit Io. Antonius Valtrinus de re militari veterum Romanorum libr. 6. cap. 6. Tamen multa ſunt, quæ, vexillarios non fuiſſe veteranos, mihi perſuadent. nam cum ſæpe de illis Tacitus mentionem fecerit, nunquam eos veteranos appellauit, aut aliquid dixit, vnde ita ſuſpicari poſſis. Imo contrarium arguitur lib. 2. hiſt. pag. 500. *nec tres prætorias cohortes, & mille vexillarios, cum paucis equitibus, veterano exercitui obijcere.* & 528. *quippe Bedriacenſi acie, vexillariis tantum pulſis, vires legionis non affuiſſe.* Præterea, cum aliquando tantus vexillariorum numerus eſſet in exercitibus, ſicuti pag. 538. Muciano tribuuntur, *tredecim vexillariorum millia*; ſi veterani omnes, quæ vires illis reſiſtere potuiſſent? Ac ſi tot ſimul ſub vexillo retenti fuiſſent, dum agros & præmia expectarent; quas turbas ac ſeditiones ſuſcitauiſſent, ea efflagitando, corruptiſſima præſertim diſciplina? cum de legionarijs ipſis, qui nondum veterani, id ſæpius audiatur. Cenſeo igitur, vexillarios fuiſſe partem legionariorum militum, qui à ſua legione aberant:

rant:

rant: ſcilicet à legionibus per longinquas prouincias præſidium agitantibus, tanquam in bellis ſubſidium, accerſiti, tot ex vnaquaque legione, quot pro ratione præſidij abeſſe poſſent. ideoque vexillarij appellarentur, eo quod ab Aquilis ſeparati, ſub vexillis proprijs militarent. Firmari hæc opinio videtur lib. 2. hiſt. pag. 528. *precipua Quartadecimanorum ferocia, qui ſe victos abnuebant: quippe Bedriacenſi acie, vexillariis tantum pulſis, vires legionis non affuiſſe.* At pag. 496. dixit, è Dalmatia præmiſſa fuiſſe Othoni bina millia militum è quatuor legionibus, quarum præcipue erat Quartadecima: ergo inter hos præmiſſos fuerunt illi, quos poſtea, ſuos vexillarios, legio vocat. Quod clarius etiam colligitur pag. 515. in ipſa pugna, vbi ait: *circumuenti plurium accurſu Quartadecimani.* nempe ijdem, quos deinde dixit, vexillarios pulſos. nã legio ipſa prælio nõ affuit, vt patet. Aliquid etiã iuuat locus lib. 14. pag. 352. *Iam Suetonio quartadecima legio, cũ vexillariis viceſimariis, & è proximis auxiliares, decem fermè millia armatorum erant.* paulo poſt, dum eoſdem in aciem componit, ait, *legionarius frequens ordinibus, leui circùm armatura conglobatus, pro cornibus eques aſtitit.* vbi legionariorum appellatione videtur ſimul comprehendere Quartamdecimam legionem, ac vexillarios viceſimæ. nam pro leui armatura capiendi ſunt auxiliares, vt probat Lipſius. de militia rom. lib. 2. dial. 2. qui

etiam addit, auxilia ſucceſſiſſe in locum velitum. Item, vexillarios non fuiſſe equites, alibi Tacitus oſtendit, qui ſeparatim, vexillarios, & equites nominat, vt pag. 500. 504. 555. 564. Ait etiam pag. 354. *Auxitque copias Cæſar, miſſis è Germania duobus legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus.* vnde cõijcere poſſumus, duo illa millia ex pluribus legionibus ſumpta: atque idẽ eſſe, ac ſi dixiſſet, *duobus vexillariorum millibus.* Obſeruabis adhuc pro meo ſenſu, plerunq; eos nominari vexillarios alicuius legionis, & tamẽ eam ipſam legionem nunquàm adeſſe. Colligitur etiam, eos fuiſſe Romanos milites. nam cum lib. 2. hiſt. pag. 500. dixerit, Spurinnam, qui Placentiam obtinebat, habuiſſe tres prætorias cohortes, & mille vexillarios, cum paucis equitibus; paulo infra ait: *vtrinque pudor, vtrinque gloria, & diuerſæ exhortationes: hinc legionũ, & Germanici exercitus robur, inde vrbanæ militiæ, & prætoriarum cohortium decus attollentium: Illi vt ſegnem ac deſidem, & circo ac theatris corruptum militem,* &c. vbi clarum eſt, vrbanos illos milites, & circo ac theatris corruptos, eoſdem eſſe, quos ſupra nominauit vexillarios. Aliquando Tacitus pro vexillarijs, dicere ſolet, vexillum. vt pag. 504. *Tertiadecimæ legionis vexillum.* 564. *cum vexillis nonæ, ſecundæque, & viceſimæ Britannicarum legionum.* Nam de his ipſis ſuprà, pag. 548. dixit, *Cum vexillariis trium Britannicarum*

nicarum legionum. Et quod ſupra dictum eſt de vexillarijs legionum, cēſeo, idem intelligendum eſſe de vexillarijs cohortium, vt ſcilicet ſint milites à cohortibus ſuis, nempe auxiliarijs, ſeparati. vt pag. 555. *Antonio vexillarios è cohortibus, & partem equitum, ad inuadendam Italiam rapiendi*. Quod autem cohortium nomine ſimpliciter, intelligantur auxiliariæ, alibi apparet, præſertim pag. 376. *expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum è cohortibus iuſſit*.

Interea legati ab ſenatu egreſſi, iam apud aram Vbiorũ Germanicũ adeunt. Satis mirari non poſſum, tam multa præterijſſe Beroaldũ, aut ſi quis alius hos quinq; libros imprimi ex Manuſcripto curauit. hic enim locus incorruptè in eo legitur ſic: *Interea legati ab ſenatu, regreſſum iam apud aram Vbiorũ Germanicũ adeũt*. Quod quidē vitiũ Mercerus notauerat, atq; ex ingenio correxerat.

Duodecim millia è legionib. ſex, & viginti ſocias cohortes. Melius ex hiſtoria Lipſius diſtinguit: 32
duodecim millia è legionib. ſex & viginti, &c. quā diſtinctionē repperi ego etiam in Manuſcripto.

Ipſi ſedem veterē in prouincia. Dubitat Lipſius, 38
an ſit legendũ, *vetere in prouincia*. huc certe inclinat antiqua ſcriptura, quæ corruptè habet, *vāera*, ac litera, *e*, ſupra literam, *a*, addita fuit, ſed à recentiori manu.

Cacinam cum quadraginta cohortibus romanis. Ergo cũ quatuor integris legionibus, quibus 39

ipſe præerat, vt ſupra, pag. 21. & 25. Decem enim cohortes in vna legione numerabantur, & quælibet cohors ex tribus manipulis conſtabat, vt ex Vegetio, Polybio, & alijs notum eſt.

41 *Circum ſilua paulatim adclines.* Man. *adcliues.*

43 *En Varus, & eodem iterum fato victa legiones.* Cùm Man. habeat, *& eodemque iterum*; ambigo, num legendum ſit: *En Varus en, eodemque iterum*, &c. nam particula, *en*, ingeminata, maiorem vim addere verbis videtur.

43 *Tanta inde conſternatio*, &c. Apud veteres romanos (vt alibi Lipſius notauit, hoc maxime cautum erat. Polybius enim lib. 6. ait. Turmas equitum quotidie excubaſſe in caſtris. deinde ſequitur. *Atque hi curant, cum alia, tum equos maxime, ne aut vinculis impediti & illigati lædantur, inutiles futuri ad militiam; aut ſoluti & ruentes, turbas & conſternationem excitent in caſtris.*

44 *At victoribus decus, gloriã, quæ domi cara*, &c. Illud, *quæ*, ad antecedentia referri non debet, ac meliùs diſtinguendum eſt, autoritate etiam Manuſcripti: *at victoribus decus & gloriam, quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta, memorat.* Senſus eſt, victoribus decus & gloriam ſupereſſe. deinde memorat ea, quæ domi cara, ſcilicet parentes, liberos, fratres, vxores: quæ in caſtris honeſta, nempe dona militaria, quibus quiſque ob virtutem decorabatur.

Sternun-

Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus: iumenta, ſarcinæ, corpora exanima, &c. Melius, ni fallor, interpuncta ſunt hæc antiquioribus editis: *ſternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, ſarcinæ. corpora exanima,* &c. 46

Necpatrum cognitionibus ſatiatus. Suet. Tib. cap. 33. *Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus, plerunque ſe offerebat conſiliarium.* 49

Quod vulgus formidoloſum, & pater arguiſſe dicebatur. Lipſius legit, *quod in vulgus.* Mihi vulgata lectio probatur. vt ſit ſenſus: Quoniam vulgus, & ipſe etiam pater, arguerant Druſum formidoloſum, hoc eſt, illum eſſe formidoloſi animi, ideo ille, vt ſe quodammodo hac formidinis nota purgaret, in ſpectaculis ſanguine, quamquam vili, nimis gaudebat. 50

Theatri licentia proximo priore anno cœpta. Reſtitue ex Man. *At theatri.*

Congruentia his Interamnates diſſeruere. Non reticebo, in Man. legi, *Antemanates:* licet falſum credam. 51

ANNALIVM LIB. II.

IGnotæ partis virtutes, noua vitia.* Quidam exiſtimant, Tacitum noua vitia vocare, lecticæ geſtamen, faſtumque erga patrias epulas. Ego aliter intelligo: promptos illos aditus, obuiamque Vononis comitatem, quæ re vera virtutes eſſent, tamen quia Parthis ignotæ ac ſuſpectæ, tanquam noua vitia habita fuiſſe. 55

Et quia ipſorum maioribus aliena, &c. Mihi rectum videtur. tamen Muretus mallet, *ipſorum moribus.*

56 *Celeranda victoria intentior.* Lipſius ait, priſcam lectionem eſſe, *interior.* At ne quis erret, ego oculatus teſtis contrà affirmo, in Man. non aliter legi, quàm, *intentior.*

60 *Tertia fermè vigilia inſultatum eſt caſtris.* id eſt poſt ſextam horam noctis. Nam quælibet nox in quatuor diuidebatur vigilias, in hieme longiſſimas, in æſtate breuiſſimas, quarum vnaquęque tres horas habebat, cùm perpetuò duodecim horæ diei, ac duodecim noctis apud antiquos eſſent, quæ ab Aſtronomis inæquales, ſiue planetariæ appellantur. Lucanus lib. 5.

——— *iam caſtra ſilebant:*
Tertia iam vigiles commouerat hora ſecundos.

Atque hæ vigiliæ Clepſydra æqualiter diſtinguebantur. Veget. lib. 3. cap. 8. *In quatuor partes ad Clepſydram ſunt diuiſæ vigiliæ.*

61 *Quorum pars onuſta vulneribus tergum.* Figura hîc locum habere non videtur, cùm omnia referantur ad verbum, *obijciant.* ergo legendum puto, *terga*, vel ſi mauis, *tergora.*

Aduerſis odiis obijciant. Quis vocem, *odiis*, hûc aduexit? Rectè Lipſius emendandum cenſuit, *diis:* nã et ſcriptus liber haud aliter habet, quàm, *aduerſis diis.*

63 *Incubueratque ſagittariis, illâ rupturus.* Muretus legit, *illâ erupturus.*

Miles

Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem ſalutauit. Quum ipſe Princeps non aderat, apud ipſius imaginem fiebat hæc ſalutatio. Quem morem ex Plinio iuniore diſces, qui in Paneg. ad Traianum ita ait: *Itaque non te apud imagines, ſed ipſum præſentem audientemque conſalutabant Imperatorem.*

Quis impugnandus agger, vt ſi murum ſuccederent. & hîc legit Muretus, *vt ſi muro ſuccederent.* 64

Aut inſulas ſaxis abruptas. Cùm Man. habeat, *abruptis*, vide an ſic melius legatur: *aut inſulas, ſaxis abruptis, vel per occulta vada, infeſtas.* vt ſint inſulæ infeſtæ, vel abruptis ſaxis, vel occultis vadis. 65

Quando romanæ vltioni conſultum eſt. Muretus: *conſultum eſſet.* 67

Strepebantque etiam in veſtibulo. In Man. legitur tantùm: *ſtrepebant etiam in veſtibulo.* 69

Euertentibus adpoſitum menſa lumen. Mureto magis placet, *menſæ.* 70

Sed vt locis, ordinibus, dignationibus antiſtent, taleſque ad requiem animi, &c. Emendauit olim Muretus: *ſed vt locis, ordinibus, dignationibus antiſtent aliis, quæ ad requiem animi*, &c. At mihi emendatio hæc non omnino probatur. nam locis & ordinibus, non rectè opponuntur dignationes, cùm ferè vnum & idem ſit, dignatio, ac locus & ordo. horum autem verborum ſenſus eſt; vbi honores, ibi commoda. Lipſius legit ac- 71

diſtinguit: *ſed vt locis, ordinibus, dignationibus antiſtent, & aliis quæ ad requiem*,&c. bono quidem ſenſu,ſed conſtructione non integra. Manuſcriptus nihil aliud iuuat,niſi quod habet,*taliſque ad requiem*. ac fortaſſe ibi latet particula, *ita*, quæ neceſſaria videtur ad ſententiam explendam. Itaque ego ſic legerem: *ſed vt locis,ordinibus, dignationibus antiſtent, ita aliis quæ ad requiem*,&c.

72 *Super eo negotio diuerſas ſententias noſcere*. Illa vox,*eo*, refertur quodammodò ad verbum,*prolatas*. hoc eſt, ſuper negotio, de quo tunc in ſenatu certabatur,an ſcilicet res agi,vel præſentiæ Principis reſeruari,ſatius foret.

Piſo quanquam abſuturum ſe Cæſar dixerat. Acta hæc in ſenatu fuiſſe coram Tiberio conſtat,cùm paulo infrà dicat; *Audiente hæc Tiberio ac ſilente*. ac deinde; *Et certamen Gallo aduerſus Cæſarem*. Nihilominus contrarium arguere videntur verba Piſonis, qui abſente Principe agendum cenſebat. Item verba Galli, qui res integrás ad eius præſentiam reſeruabat. ergo non aderat. Præterea veriſimile non videtur, Piſonem adeo liberè ac ſuperbè locutum, præſente Tiberio, & quidem ſuſpicaciſſimo ac memore. Hæc autem non obſtant. Nam cum proponerentur negotia illa corā Principe, cenſeo ipſum dixiſſe; diutius ſibi in ſenatu morari non eſſe commodum. Tum Piſo, quamquam abſuturum ſe Cæſar dixerat, eo magis agendum cenſebat,

ſebat, vt poſt illius diſceſſum, ſenatus & equites ſua munia exercerent. Gallus contra, res in alium diem differendas, quo Cæſar adeſſe poſſet. Nec verbis Piſonis moueor, cùm ea ſimulacra libertatis Tiberius libenter ſenatoribus permitteret, vim imperij ſibi retinens, vt ſuprà paſſim oſtenditur. exiſtimo etiam, mentem potius Piſonis à Tacito ſignificari, quam vt palàm eum contumaciter locutum innuat. Imo veriſimilius eſt, ſententiam ab eo ornatam fuiſſe honeſtis ciuilibuſque verbis; ac fortaſſe prætextu ſumpto, ne Tiberij aures leuibus illis negocijs detinerentur.

Eandem vim in me tranſmittere. dubito, an Tacitus ſcripſerit, *inuidiam verò in me tranſmittere.* 74

Relinquebat famam, aut præueniebat. Hoc ideo dixit, vt mirabilem hominis illius feſtinationem oſtenderet. Nam relinquebat famam, ſcilicet poſt ſe, cùm ex municipijs adhuc ignotus abiret, vt illum adfuiſſe non vulgaretur, niſi poſt eius diſceſſum. Vel ſi fortè agnoſceretur, adeo vt antequam diſcederet, fama ſuperueniret; ſaltem præueniebat illam, cùm ad omnia municipia ante ipſam famam aduolaret. 75

Nec Tacfarinas pugnam detractauit. In libro vetere ſemper ſcribitur, *detrectauit*, ſic pag. 112. 83

Igitur aliaque, quæ ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda. Corruptus proculdubio locus. Olim voce tranſpoſita legebam: *Igitur,* 84

Aſiam, aliaque ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda, relegit, appellitque, &c. quod nunc mihi non ſatis placet. In Man. legitur: *Igitur alio, quaque ibi*, &c. Exiſtimat Lipſius, fuiſſe hîc aliquid inſertum de Ilio, Romulæ gentis fonte: quod ego ſuſpicor fortaſſe latêre in voce, *alio*, atque aliquid ſimile ſcriptum fuiſſe: *Igitur viſo Ilio, quaque ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda, relegit Aſiam.* Nam cùm ſupra dixerit, Germanicum intraſſe Propontidis anguſtias, & os Ponticum, Ilium certè non longè aberat, vt Tabulæ geographicæ demonſtrant.

85 *Quæ in Macedones improſperè, violenter in ſuos feciſſent.* Socratem enim damnarunt, cuius Apologia extat apud Platonem. Item Themiſtoclem expulerunt: de quo Plut. in vita ipſius: & Thucid. lib. 1. de bello Pelop. Socijs etiam grauia tributa impoſuerunt; vt ait idem Thucid. lib. 1.

86 *Ambigua gens ea antiquitus, non modò ingeniis, ſed ſitu terrarum.* Reſtitue ex Man. *Ambigua gens ea antiquitus, hominum ingeniis, & ſitu terrarum.*

87 *Diſceſſerantque opertis odiis.* mihi videtur potius legendum: *diſceſſeruntque apertis odiis.*

Poſtque rarus in tribunali Cæſaris Piſo. lege *Poſt quæ rarus.*

Neu proceres gentium propinquis nuntiis ad diſcordias traheret. particula illa, *neu*, ſententiam

tiam

tiam confundit. cenſeo itaque legendum, *ne proceres gentium*. vel potiùs, *ne is proceres gentium*.

Sin rebus ſuis aliud conduceret. Man. *ſin rebus eius*. haud dubiè rectiùs. ſuprà enim dixit: *tutam ei honoratamque ſedem in Italia fore*. 90

Si quando inſoleſcerent Sueui, quaſi rediturus in regnū oſtentabatur. In Man. legitur, *ne ſi quando*. quod corrigendum puto, *ac ſi quando*.

Et primo ſubdola concordia egere. Repone ex Man. *ſed primò*. 91

Sanciendo, vt dictabat, fœderi. Idem Man. *vt dictitabat*.

Latinius Pandus proprætor Mœſia. Legitur in Manuſcripto, *proprætore*. ſic lib. 13. pag. 327. *Romæ prætor, per prouincias qui proprætore aut conſule eſſent*. 92

Pomponium Flaccum veterem ſtipendiis. Legendum puto, *veterem ſtipendij*. modus enim loquendi eſt, Tacito familiaris. Vide quæ notaui ſuprà ad pag. 16.

Et quanto longiùs abſcedebat, apertiore cuſtodia. Meliùs cum Man. legas, *abſcedebatur*.

Reperiebantur ſolo ac parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ. Muretus legit, *ſolo ac parietinis*. quod rectius videtur. 93

Hinc militum, inde locorum aſperitas. Supplet ex ingenio Muretus: *hinc militum vis, inde locorum aſperitas*.

ANNALIVM LIB. III.

105 *MOdò per ſilentium vaſtus, modò ploratibus inquies.* Omnino legendum cenſeo, *vaſtum*, hoc eſt profundum. Sic ſæpe Tacitus loquitur. Infrà, pag. 179. *hoſtiſque clamore turbido, modò per vaſtum ſilentium, incertos obſeſſores effecerat.* 559. *Vaſtum primò ſilentium, mox cuncta ſimul erumpunt.* 741. *Vaſtum vbique ſilentium, ſecreti colles.* 41. *anguſtus is trames, vaſtas inter paludes.* Liuius lib. 10. deinde vt ſilentium vaſtum in vrbe. conſtruitur autem ſic: Dies erat inquies, modò per vaſtum ſilentium, modò ploratibus. Scriptum forte erat, *vaſtus*, vnde error.

106 *Non enim eadem decôra principibus viris, & imperatori populoque. modicis domibus aut ciuitatibus conueniſſe*, &c. Lipſius legit, *imperatori populo.* quod verum exiſtimo. Liuius enim lib. 1. in principio, lib. 34. & 42. populum romanum appellat, *principem orbis terrarum populum.* Suet. in Calig. cap. 35. *dominum gentium populum.* Virg. 1. Æn. *populum latè regem.* At idem Lipſius vinclum illud, *que*, remouet, quod ego potiùs leuiter immutarem, ac relatiuum, *qua*, efficerem. Sic itaque totum locum legendum ac diſtinguendum cenſeo: *non enim eadem decôra principibus viris, & imperatori populo, qua modicis domibus aut ciuitatibus. Conueniſſe recenti dolore, luctum.* &c. Addo etiam Manuſcripti fidem,

dem, in quo eandem ferè diſtinctionem poſtea inueni.

Sueta erga filios familiarium nobiles liberalitate auget. Mercerus legit, *erga filiosfamiliarum,* 107
vna voce. ſic infrà, pag. 242. *ne in mortem parentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.* ſuprà etiam pag. 19. *nunquam ne ad ſe niſi filiosfamiliarum venturos?*

Ab Narnia vitandæ ſuſpicionis. Si ad Taciti phraſim attendas, magis placebit, *vitandæ ſuſpicioni.* ſic infrà pag. 121. *Tiberius quaſi firmandæ valetudini in Campaniam conceſſit.*

Domus foro imminens feſto ornatu. Cùm Man. 108
habeat, *feſta ornatu:* ſuſpicor legendum eſſe, *feſta, ornata.*

Poſtquam reo T. Arruntium, &c. Corrige ex Man. *Poſt quæ reo.* ſic pag. 112. *Poſt quæ Tiberius.*

Satin' cohiberet ac premeret ſenſus ſuos Tiberius, an promeret. In Man. legitur: *Satin' cohiberet ac premeret ſenſus ſuos Tiberius, ac premeret.* Vnde ſuſpicari poſſumus, poſtrema illa verba, *ac premeret*, ingeminata fuiſſe à librario ex prioribus, tranſcurſu calami; poſteaque emendata, *an promeret*: verba ſubdititia, ideoque tollenda.

Iis haud aliàs intentior populus, plus ſibi in principem, &c. Et hîc arbitror, neque ex Taciti mente, neque ex veteris libri fide, tranſcripta hæc verba fuiſſe. Man. enim habet: *is haud aliàs intentior, populus plus ſibi in principem,* &c. Duo

hîc oſtenduntur: Tiberij ſcilicet in eo negotio intenſiſſimum animum, ac populi maiorem licentiam. optimo ſenſu.

110 *Inter aliena ſeruitia, & tot adſtantium viſu.* videtur legendum: *viſus.*

115 *Statiuis caſtris hærebat.* Man. *adhærebat,*

116 *Ad proferenda quæ velut reticere voluerat,* Muretus legit, *reticere voluerant.* ego potiùs vellem, *reticeri voluerat.* In Man. autem corruptè, vt opinor, legitur, *quæ velut reicere voluerat.*

117 *Cùm omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerterentur.* Reſtitue ex Man. *ſubuerteretur.* Quòd autem ait, *delatorum interpretationibus,* ſignificat dubietatem, atque implicationem, quam multitudo legum pepererat. ideoque inferius, pag. 119. ait, *exoluti plerique legis nexus.*

118 *Ambitio & vis incedebat.* Man. *incidebat.*

Nec minor largitor nomine ſenatus Druſus. hoc eſt, nec minor turbator fuit Druſus, ob largitiones ab eo, nomine ſenatus, factas. Nam Liuius Druſus Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiam, ſenatui iudicia permiſit, vt ex hiſtorijs eſt notum.

Deditque iura, quis pace & principe vteremur. Rhenanus hunc locum interpretatur: quibus iuribus nos vteremur, pace & principe exiſtente. Ego autem aliter intellexeram: ſcilicet, quibus iuribus exiſtentibus, nos pace, & nouo principatu frueremur.

Acriora

Acriora ex eo vincla, inditi cuſtodes. fortaſſe magis proprie, *arctiora ex eo vincla.*

Ac tamen initia faſtigij Cæſaribus erant. Refe- 120
rebam olim verba hæc ad vigintiuiratum & Quæſturam, quæ ſcilicet Cæſaribus, ſeu principum liberis, eſſent initia faſtigij principatus. Reduxit me in viam Illuſtris vir Vrſus Ilcienſis Comes, inter Senenſem nobilitatem erudititiſſimus. Tacitus enim, cùm Auguſtum, ea quoque pro priuignis à ſenatu petentem, irriſum occultè fuiſſe non dubitet, tamen habuiſſe cauſas oſtendit, modeſtè cum ſenatu agendi; Tiberium autem ſola vanitate, atque ambitioſa ſimulatione motum, eadem poſtulauiſſe. Prima cauſa fuit, vt potentiam firmius ſtabiliret, quia tunc Cæſarum imperium recens, atque in ipſis initijs erat. Secunda, quòd tunc magis erat in oculis vetus mos, atque ipſius memoria recentior (vt ſcilicet honores à ſenatu decernerentur) quàm Tiberij tempore. Tertia, quoniam Auguſto leuior neceſſitudo cum priuignis intercedebat, quàm Tiberio cum Nepote, ideoque magis neceſſaria illi erat ſenatus autoritas. Idem de hoc loco ſentit etiam Bernardus Dauanzatus nobilis Florentinus, qui hos quinque libros ſermone patrio aptiſſimè interpretatus eſt.

Iudicioque patrum diligendum proconſulem. 122
Obſeruaui, in Man. ſemper legi *proconſule.* Item pag. 124. vbi in vulgatis legitur, *ex quîs proconſul*

Africæ legeretur, idem liber habet, *proconſule Africæ*. pag. 125. *proconſule Cretæ*.

Multum antè repetito, concordem ſibi coniugem. Mureto magis placet, *multum altè*.

125 *Bellum aduerſus nos voluerat*. à Voluo. ſic infrà, pag. 471. *bellum voluebat*.

127 *Nobiliſſimam Galliarum ſubolem*. Cùm Man. habeat, *nobiliſſimarum*, ſuſpicor legendum eſſe, *nobiliſſimamque Galliarum ſubolem*. & ſanè copula illa neceſſario requiritur. Duo enim occupauit ſacrouir, oppidum, & iuuentutem.

131 *Vita Lutorij in integro eſt*. Lipſius legit, *in integro eſto*: quaſi id Lepidus pro ſententia cenſuerit. Mihi autem vulgata lectio magis probatur, propter verba quæ ſuprà dixit; principem ſæpiſſimè conqueſtum fuiſſe, ſi quis, ſumpta morte, miſericordiam eius præueniſſet. Ergo, ſequitur Lepidus, mortem adhuc Lutorius non ſumpſit, vitaque eius eſt in integro, vt nobis cauendum ſit, ne nimiæ ſeueritatis autores ſimus. Suam ipſe poſtremò ſententiam profert, vt cedat vrbe.

132 *Nec mediocribus remediis reſiſti poſſe*. Man. corruptè habet, *remedij iſti*. Emenda ergo, *nec mediocribus remediis ſiſti poſſe*: id eſt vtenſilium pretia.

133 *Vnius inuidia ab omnibus peccatur*. Vnius, ſcilicet Principis, cui ſoli communia vitia imputantur. Aliquid ſimile dixit Tacitus in vita Agricolæ, pag. 733: *proſpera omnes ſibi vindicant; aduerſa*

aduerſa vni imputatur. Eodē ſenſu dicit paulò infrà Tiberius: *ſimultates faciūt, ac mihi relinquunt.*

Simultates faciunt; ac mihi relinquunt. Mercerus olim legebat, *ſimultates fugiunt.* nuper autem aliam correctionem excogitauit, id eſt, *ſimultates faciundas mihi relinquunt.* 134

Remiſſa Ædilibus talis cura. Non intelligas, remiſſa, hoc eſt, omiſſa, vel neglecta; ſed potiùs permiſſa vel delegata. quod idem Mercerus docet Cuiacij etiam autoritate. Alias contra eſſet Suetonius in Tib. cap. 34. vt Lipſius animaduertit.

Dixitque pro ſententia, vt publicis priuatiſve monimentis, &c. videtur legendum, *priuatiſque.* 136

Porrò ſi hi duxiſſent prouincias. id eſt, ſortiti eſſent, vel ſorte duxiſſent. quod Mercero etiam probatur.

Non æmulatione, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxium. Corrigit Muretus: *non æmulationi.* Verè, nam omnia hæc reſpiciunt verbum, *obnoxium.*

Bellum ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri. Lipſius ait, non malè legi poſſe, *Bello.* Ego mallem, *Bello eum ſcilicet.* 137

Litora & lacus Campaniæ tum maximè peragrantem. Reſtitue ex Man. *cum maximè.*

Crebeſcebat enim Græcas per vrbes. Man. *crebreſcebat.* & ſic ſemper hoc verbum in eo ſcribitur.

Modus tamen præſcribebatur. modus ſci- 139

licet vtendi Aſylis, quem egredi non liceret.

Iuſſique ipſis in templis facere aras, ſacrandam ad memoriam. Turpiter mendoſum eſſe hunc locum non animaduertiſſem, niſi me Manuſcriptus admonuiſſet, in quo corruptè legitur; *fiere aera ſacrandam*, &c. vnde ego veram lectionem eruiſſe exiſtimo, id eſt, *iuſſique ipſis in templis figere æra, ſacrandam ad memoriam.* Intelligit enim æreas tabulas, quæ ad parietes templorum affigendæ eſſent, ad ſacrandam memoriam Senatuſconſulti eo die ſuper Aſylis facti. Sic infrà, pag. 243. *aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo.* 286. *& fixum eſt ære publicò* (ſic enim libri veteres) *Senatuſconſultum.* 632. *quique æra legum, vetuſtate delapſa, noſcerent, figerentque.*

141 *Separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit.* Diſtingue, Silano fuiſſe matrem, & nouercam. materna autem bona intelligit veræ matris, quæ à bonis nouercæ ſeparari deberent, ac filio, tanquam auiæ ipſius paternæ bona, reddi.

142 *Cytheram potiùs concederet.* Adde ex Man. *vt Cytheram.* At in eo legitur, *Cythenum.*

143 *Capito inſignior fama fuit.* Man. habet, *inſignitior.* quod fortaſſe rectius eſt: nam & infrà, pag. 180. ait, *inſignitius flagitium.*

Vt Pontificis maximi arbitrio, dum ne pluſquam binoctium abeſſet. In Man. rectè, meo quidem iudicio, legitur: *vt Pontificis maximi arbitrio*

trio pluſquam binoctium abeſſet. Quiſquis verba illa, *dum ne*, è ſuo capite addidit, orationem corrupit. Vera enim ſentẽtia videtur: Cùm flamen Dialis per binoctium abeſſe abſque vlla licentia poſſet, decreto Pontificis ſtatutum fuit, vt aduerſæ valetudinis cauſa, etiam vltra binoctium ei abeſſe liceret, arbitrio tamẽ Põtificis maximi.

Tanquam labore vigilantiaque eius, tanta vis vnum intra damnum ſtetiſſet. Muretus legit, *tanta vis ignium intra damnum ſtetiſſet.* quod mihi non ſatis probatur. niſi fortè intelligi poſſit, *intra damnum*, hoc eſt citra damnum reliquæ vrbis, cùm propter Seiani diligentiam, violentia ignis theatrum non egreſſa ſit. quomodo dixit Quintil. lib. 11. cap. 3. *Hortenſij ſcripta intra famam ſunt:* id eſt, citra famam vel opinionem. Aliâs neceſſarium videretur addere, intra vnum damnum, vel, intra id damnum, ſcilicet theatri. A vulgata igitur lectione non recedam, vt tanta vis, ſubintellige ignis, ſteterit intra vnum illud theatri damnum. 144

Ac tunc Tiberius Bleſo. Poſtremum obiere eo anno, &c. Lipſius diſtinguendum cenſet: *ac tunc Tiberius Bleſo poſtremum. Obiere eo anno,* &c. Optimè, namque hæc ipſa diſtinctio præfertur etiam à Manuſcripto. 145

ANNALIVM LIB. IIII.

ET *quo facinore dominationẽ captauerit.* Cùm Man. habeat, *dominationem raptum perit*, ar- 148

bitror ſcripſiſſe Tacitum, *raptum ierit*: phraſi illi vſitata. Sic pag. 493. *Mox vt Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res romanas raptum ire vulgatum eſt.*

Non ſine rumore, Apicio diuiti & prodigo ſtuprum venum dediſſe. Man. *veno dediſſe.*

149 *Fiducia ipſis, in ceteros metus crederetur.* Alij legunt, *creſceret*; alij, *crearetur*; alij, *dederetur*, vel, *dideretur*. Man. corruptè habet, *credetur*. Ego vulgatam lectionem vtcumque non ſperno. Seianus enim, cùm cohortes in vna caſtra conduxiſſet, voluit Tiberium quoque ipſum, ac populum romanum decipere; vt ſcilicet crederent, illam militum coniunctionem, ad ipſorum fiduciam, & ad metum ceteris intendendum factam fuiſſe, cùm re vera ad maiorem ſibi potentiam parandam pertineret.

151 *Quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quatuor legionibus coercitum.* Man. *coercita.*

153 *Sibique & poſteris confirmaret.* Mihi magis placet, *conformaret*, quod in Man. legitur.

154 *Poſt Sabina nobilitas, Appius Clauſus.* Lipſius legit, *Atta*, vel, *Attius*. Man. autem habet; *Attus Clauſus.*

Vbi locus veneficij, tempus, compoſita ſunt. Aliquanto meliùs Manuſcriptus: *vbi locus veneficij, tempuſque compoſita ſint.*

156 *Ob atrocitatem temporum in Inſulam Amorgum deportatur.* Lipſius corrigit; *ob atrocitatem morum*. At ego exiſtimo, vulgatam lectionem

ſubſiſtere

ſubſiſtere poſſe, hoc ſenſu: Cùm illa ætas, illaque tempora, propter inſolentiam Proconſulum, corruptiſſima eſſent, ideo ſeueriùs in Silenum animaduerterunt, quò alijs exemplo eſſet. Suetonius in Tib. cap. 48. dixit; *ad mitigandam temporum atrocitatem.*

Et quando exiret è iure patrio, qui id flaminium apiſceretur. Lipſius defectum hunc locum cenſet: qui tamen mihi integer videtur. Cùm enim Tiberius dixerit, paucos tunc repperiri patritios, confarreatis parentibus genitos, ad flamines eligendos, eo quod confarreandi vſus omiſſus fuerit; tres addit omiſſæ confarreationis cauſas, ſcilicet, incuriam, cærimoniæ difficultates, & quia electus flamen, ac mulier quæ ei nuberet, ex patria poteſtate per leges exirent, quod valdè moleſtum erat parentibus, ideoque confarreationem negligebant. Petebat itaque Tiberius, vt ſenatus decreto, vel lege, huic rei mederetur. & idcirco lata lex eſt, qua lege, flaminica Dialis, ſacrorum quidem cauſa in ſolius viri poteſtate eſſet: at in ceteris, id eſt præter ſacra, in patris ſimul & mariti manu eſſet. Idem de hoc loco ſentiunt Vertranius Maurus, & Ioſias Mercerus. 158

Quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios diſpergatur. In Man. legitur, *diſpergebatur.* 159

Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemque tanto merito rebatur. forte legen-

dum; *imparemque ſe tanto merito rebatur.*

160 *Sed liberalitas Auguſti auulſa, computatis ſingillatim quæ fiſco petebantur.* Sunt qui interpretentur, Tiberium computari ſingillatim curauiſſe omnia Silij bona, fiſco debita, præter illa quæ Auguſtus liberaliter eidem dono dederat; quæ ſcilicet auulſa fuerint à ceteris bonis, vel à fiſco ipſo, & quaſi exempta. Si talis igitur eſt ſenſus, videtur egendum: *ſed liberalitate Auguſti auulſa, computatis,* &c. ſuſpectus tamen apud me hic locus remanet.

Nam pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius deflexit. Man. habet, *in melius flexit.*

162 *Nam priores duces ſibi impetrando triumphalium inſigni,* &c. corrigit Lipſius, *vbi impetrando.* Verè; namq; indicatur hæc correctio à Man. in quo legitur; *nam priores duces ſub impetrando.*

164 *At ille dilectis circumſtipatoribus.* Vitium in verbo, *dilectis*, animaduertit Mercerus, qui legit, *diſiectis.* Ego autem potiùs reſcribo, *deletis,* cum Man. habeat, *delectis.* ſic infrà, pag. 180. *deleto promptiſſimo quoque aut ſaucio.*

165 *Nomen viri Q. Vibius Serenus in ſenatum inducti ſunt.* Rectè Lipſius, qui corrigit, *nomen, vtrique Vibius Serenus*, cum Man. hoc ipſum denotet, qui habet; *nomen virique Vibius Serenus.* At aliquid amplius huic loco requiritur, vt integrè ſanetur. nec verbum, *ſunt,* Taciti phraſim olet, qui plerunque illud omittit. in cuius locum videtur poſſe aptiſſimè reponi, *ſenex:*

idque

idque neceſſitas diſtinctionis exigit, cùm paulo poſt dicat, *adoleſcens.* Sic igitur legerem: *nomen vtrique Vibius Serenus, in ſenatum inducti. Senex ab exilio,* &c.

Miſſosque in Galliam concitores belli. Dele copulam, *que*: abeſt enim à Man.

Innocentem Cornutum, & falſa exterritum. Muretus legit; *falsò.* dubito an melius, *falſis.*

Gallus Aſinius Gyaro, aut Donuſa claudendum cenſere. Lipſius interpretatur, *cenſere*, pro cenſebat. quod mihi non placet: ac potiùs legerem, *cenſuit.* Man. habet, *cenſeret.* Muretuſque addit, *cùm Gallus Aſinius.* Sed coniectura tantùm. Harum Inſularum meminit Virg. in 3. Æn. vbi tamen, *Donyſa*, legitur. 166

Et eaſdem exitu cauſas coniungimus. puto legendum; *& eaſdem exitij cauſas.* 168

Reperies qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta ſibi obiectari putent. Plin. Paneg. *vt in ſe dicta interpretaretur, quæ de ſimillimo dicerentur.*

Etiam gloria ac virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens. Obſcurus locus, & qui me alioſque vexauit. Mihi olim viſum eſt, tripliciter interpretari poſſe. Primò: Cùm proxima ſit ætas earum rerum quæ ſcripta ſunt, lectoris animus, aliorum virtutes narratas redarguet, eo quòd diuerſas vel ipſe viderit, vel ab alijs illius ætatis audierit: quod in antiquis hiſtorijs non contingit, in quibus fides ſcripto-

ribus adhibenda eſt. Secundò: ſi virtutes relatas Lector ſibi, ſuoque captui, propinquas ac familiares minimè agnoſcat, ſtatim animo & cogitatione illas arguet, falſasque putabit. Eritque huic ſententiæ ſimile, quod ait Salluſtius in prohemio Catil. ſumptum ex Oratione Periclis apud Thucid. lib. 2. *Vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque facilia factu putat, æquo animo accipit: ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit.* Tertio: Gloria quoque ac virtus odioſæ ſunt, ſicuti etiam animus ac mens ſcriptoris, qui ex propinquo arguere ac vituperare diuerſa videatur. Attamen nullus horum ſenſuum mihi ſatis probatur. Ilcienſis enim Comes ſuprà memoratus, qui multas Mureti notas ad Tacitum mihi humaniſſimè communicauit, me nuper monuit, apud eundem Muretum legi: *vt nimis ex propinquo diuerſa arguens*, hoc ſenſu: Etiam gloria ac virtus odio habentur, vt quæ nimis ex propinquo, id eſt nimis propè, ac quaſi coràm & ſub oculis hominum, diuerſa vituperare, ſeu aliorum vitia exprobrare videantur. Hanc itaque ſententiam probaui, eo magis, quòd in Man. legitur, *vt animis*. Atque, vt hic, *ex propinquo*, ita alibi Tacitus eodem ſenſu vſurpaſſe videtur, *è proximo*. Nam hiſt. lib. 2. pag. 527. ait: *Et Triaria licentiam, modeſtum è proximo exemplum onerabat, Galeria Imperatoris vxor.* Quod idem Ilcienſis obſeruauit.

An illi quidem ſeptuageſimum ante annum per- 169
empti. Fortè melius legetur: *at illi quidem*, &c. interrogationis nota in verbo, *retinent*, deleta.

Proinde ſocios, ciues, & deos & deas ipſas precor. 171
proculdubio legendum eſt; *ciues, & deos ipſos precor*; deabus illis ablegatis. Nam Man. habet, *ciues, & deos & deos ipſos*, vbi apparet, malè ingeminatum fuiſſe à librario illud, *& deos*, quod cenſor aliquis deinde mutauit, *& deas ipſas*.

Rurſum Seianus, non tam de matrimonio. lege, 173
non iam. Seianus enim territus, matrimonij mentionem omiſerat.

Sed altiùs metuens tacita ſuſpicionum. metuebat ſcilicet Seianus, ne Tiberius in ſuſpicionem tacitam incidiſſet earum rerum, quas ipſe animo verè agitabat, de imperio adipiſcendo.

Sublatiſque inanibus, vera potentia augere. vi- 174
detur legendum, *augeri*, Muretus tamen mallet, *veram potentiam augeri*.

Quod ſi vatum, annalium ad teſtimonia vocen- 175
tur. Fortè legendum eſt, *annaliumve teſtimonia*, vel, *annaliumque*.

Magnæ opes innocenter partæ. Bene. tamen Manuſcriptus habet, *paratæ*.

Ipſe electus, cui minor Antonia, &c. In Man. legitur, *Ipſe deiectus*. reſcribe ergo, *delectus*.

Mox verſi in luxum, & capti opulentia. Per- 178
peram mutatus hic locus fuit, cùm rectè ſe ha-

beret in Man. *& raptis opulenti.* hoc eſt, ijs quæ rapuerant facti diuites.

Thracum auxilia, repentino concurſu territa. Man.habet, *repentino incurſu.*

Cùm pars munitionibus adiacerent, plures extrà pabularentur. Man. *extrà palarentur.*

Poſtquam caſtello, aut coniunctis tumulis non digrediebantur. Man. *degrediebantur.* Rectè. degredi autem, non digredi, dicitur, quum ex altiori loco in inferiorem deſcenditur. Quod verbum ſæpè in Liuio emendauit Carolus Sigonius.

180 *Et proxima, ſponte inimicorum recepta.* Mureto adſentior, qui corrigit, *ſponte incolarum.* Man. quidem habet, *ſponte incorum:* vt appareat, ſyllabam, *la*, omiſſam à librario fuiſſe. Sic etiam loquitur Tacitus infra, pag. 319. *cetera terrore, & alia ſponte incolarum, in deditionem veniebant.*

Sed imaginem veram cœleſti ſanguine ortam. Muretus legit, *ſe imaginem veram.*

181 *Ideo lædi, quia non regnaret.* In Man. legitur, *n̄ ideo lædi.* Vnde fortaſſe reſtituẽdum eſt: *Num ideo lædi, quia non regnaret?* Nam & Suetonius interrogatiuè hanc ſententiam pronunciat: *ſi non dominaris filiola, iniuriam accipere exiſtimas?*

Neque aliud probis quam ex matrimonio ſolatium: eſſe in ciuitate, Germanici coniugem, &c. Leuiter tentaui, an ex hoc loco commodus ſenſus elici poſſit, hac tantum diſtinctione: *neque aliud probis*

probis quam ex matrimonio ſolatium eſſe in ciuitate. Germanici coniugem, &c. vt addat, *in ciuitate*, eo quòd in ea ſint plura incitamenta peccandi. Nihilominus ſuſpicor mendoſum eſſe locum, cum in Man. ſit huiuſmodi Lacuna: *in ciuitate .... Germanici.* ac pro, *dignaretur*, legitur ibi, *dignarentur*.

Sed Cæſar quo famam auerteret, &c. An frequens ſenatui adfuit, vt alijs negotijs diſtrictus, ſe ab illis cogitationibus alienum oſtenderet, & ſic vulgi rumor langueſceret? An, cum rumor eſſet, ſecretum ad perpetrandum facinus quæri, ipſe falſum arguere voluit, cùm Romæ, & in ſenatu frequens ab omnibus aſpiceretur? An potius hac arte illos vulgi ſermones aliò traducere voluit, cùm nouis Aſiæ negocijs omnes intenti futuri eſſent? Hanc certè, pro reliquis Tiberij artibus, Taciti mentem fuiſſe crediderim. 182

Cùm id Smirnam in concionem nunciatum foret. videtur legendum, *in concione.* 183

Et quia Lepidus ipſe diligi ſe per modeſtiam abnuebat. Verè ad ſenſum emendauerat Mercerus, *diligi à ſe*, quod Lipſio etiam probabatur. At verior eſt lectio Manuſcripti: *& quia Lepidus ipſe deligere per modeſtiam abnuebat.* Nam licet conſenſu ac decreto ſenatus mittebantur legati, electio tamen ſolebat plerunque ipſis ducibus permitti, vt viros ſibi gratos ſecum ducerent. Liuius lib. 44. *Senatus Cn. Seruilio Conſuli*

Africa legeretur, idem liber habet, *proconſule Africa*.pag. 125 .*proconſule Cretæ.*

Multum antè repetito, concordem ſibi coniugem. Mureto magis placet, *multum altè.*

125 *Bellum aduerſus nos voluerat.* à Voluſ. ſic infrà, pag. 471. *bellum voluebat.*

127 *Nobiliſſimam Galliarum ſubolem.* Cùm Man. habeat, *nobiliſſimarum*, ſuſpicor legendum eſſe, *nobiliſſimamque Galliarum ſubolem.* & ſanè copula illa neceſſario requiritur. Duo enim occupauit ſacrouir, oppidum, & iuuentutem.

131 *Vita Lutorij in integro eſt.* Lipſius legit, *in integro eſto*: quaſi id Lepidus pro ſententia cenſuerit. Mihi autem vulgata lectio magis probatur, propter verba quæ ſuprà dixit; principem ſæpiſſimè conqueſtum fuiſſe, ſi quis, ſumpta morte, miſericordiam eius præueniſſet. Ergo, ſequitur Lepidus, mortem adhuc Lutorius non ſumpſit, vitaque eius eſt in integro, vt nobis cauendum ſit, ne nimiæ ſeueritatis autores ſimus. Suam ipſe poſtremò ſententiam profert, vt cedat vrbe.

132 *Nec mediocribus remediis reſiſti poſſe.* Man. corruptè habet, *remedij iſti.* Emenda ergo, *nec mediocribus remediis ſiſti poſſe*: id eſt vtenſilium pretia.

133 *Vnius inuidia ab omnibus peccatur.* Vnius, ſcilicet Principis, cui ſoli communia vitia imputantur. Aliquid ſimile dixit Tacitus in vita Agricolæ, pag. 733. *proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa*

aduerſa vni imputatur. Eodẽ ſenſu dicit paulò infrà Tiberius: *ſimultates faciũt, ac mihi relinquunt.*

Simultates faciunt; ac mihi relinquunt. Mercerus olim legebat, *ſimultates fugiunt.* nuper autem aliam correctionem excogitauit, id eſt, *ſimultates faciundas mihi relinquunt.* 134

Remiſſa Ædilibus talis cura. Non intelligas, remiſſa, hoc eſt, omiſſa, vel neglecta; ſed potiùs permiſſa vel delegata. quod idem Mercerus docet Cuiacij etiam autoritate. Alias contra eſſet Suetonius in Tib. cap. 34. vt Lipſius animaduertit.

Dixitque pro ſententia, vt publicis priuatiſve monimentis, &c. videtur legendum, *priuatiſque.* 136

Porrò ſi hi duxiſſent prouincias. id eſt, ſortiti eſſent, vel ſorte duxiſſent. quod Mercero etiam probatur.

Non æmulatione, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxium. Corrigit Muretus: *non æmulationi.* Verè, nam omnia hæc reſpiciunt verbum, *obnoxium.*

Bellum ſcilicet, aut diuerſo terrarum diſtineri. Lipſius ait, non malè legi poſſe, *Bello.* Ego mallem, *Bello eum ſcilicet.* 137

Litora & lacus Campaniæ tum maximè peragrantem. Reſtitue ex Man. *cum maximè.*

Crebeſcebat enim Græcas per vrbes. Man. *crebreſcebat.* & ſic ſemper hoc verbum in eo ſcribitur.

Modus tamen præſcribebatur. modus ſci- 139

licet vtendi Aſylis, quem egredi non liceret.

Iuſſique ipſis in templis facere aras, ſacrandam ad memoriam. Turpiter mendoſum eſſe hunc locum non animaduertiſſem, niſi me Manuſcriptus admonuiſſet, in quo corruptè legitur; *fiere aera ſacrandam*, &c. vnde ego veram lectionem eruiſſe exiſtimo, id eſt, *iuſſique ipſis in templis figere æra, ſacrandam ad memoriam.* Intelligit enim æreas tabulas, quæ ad parietes templorum affigendæ eſſent, ad ſacrandam memoriam Senatuſconſulti eo die ſuper Aſylis facti. Sic infrà, pag. 243. *aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo.* 286. *& fixum eſt ære publicò* (ſic enim libri veteres) *Senatuſconſultum.* 632. *quique æra legum, vetuſtate delapſa, noſcerent, figerentque.*

141 *Separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit.* Diſtingue, Silano fuiſſe matrem, & nouercam. materna autem bona intelligit veræ matris, quæ à bonis nouercæ ſeparari deberent, ac filio, tanquam auiæ ipſius paternæ bona, reddi.

142 *Cytheram potiùs concederet.* Adde ex Man. *vt Cytheram.* At in eo legitur, *Cythenum.*

143 *Capito inſignior fama fuit.* Man. habet, *inſignitior.* quod fortaſſe rectius eſt: nam & infrà, pag. 180. ait, *inſignitius flagitium.*

Vt Pontificis maximi arbitrio, dum ne pluſquam binoctium abeſſet. In Man. rectè, meo quidem iudicio, legitur: *vt Pontificis maximi arbitrio*

trio pluſquam binoctium abeſſet. Quiſquis verba illa, *dum ne*, è ſuo capite addidit, orationem corrupit. Vera enim ſentẽtia videtur: Cùm flamen Dialis per binoctium abeſſe abſque vlla licentia poſſet, decreto Pontificis ſtatutum fuit, vt aduerſæ valetudinis cauſa, etiam vltra binoctium ei abeſſe liceret, arbitrio tamẽ Põtificis maximi.

Tanquam labore vigilantiaque eius, tanta vis vnum intra damnum ſtetiſſet. Muretus legit, *tanta vis ignium intra damnum ſtetiſſet.* quod mihi non ſatis probatur. niſi fortè intelligi poſſit, *intra damnum*, hoc eſt citra damnum reliquæ vrbis, cùm propter Seiani diligentiam, violentia ignis theatrum non egreſſa ſit. quomodo dixit Quintil. lib. 11. cap. 3. *Hortenſij ſcripta intra famam ſunt:* id eſt, citra famam vel opinionem. Aliâs neceſſarium videretur addere, intra vnum damnum, vel, intra id damnum, ſcilicet theatri. A vulgata igitur lectione non recedam, vt tanta vis, ſubintellige ignis, ſteterit intra vnum illud theatri damnum. 144

Ac tunc Tiberius Bleſo. Poſtremum obiere eo anno, &c. Lipſius diſtinguendum cenſet: *ac tunc Tiberius Bleſo poſtremum. Obiere eo anno, &c.* Optimè, namque hæc ipſa diſtinctio præfertur etiam à Manuſcripto. 145

ANNALIVM LIB. IIII.

ET *quo facinore dominationẽ captauerit.* Cùm Man. habeat, *dominationem raptum perit*; ar- 148

bitror ſcripſiſſe Tacitum, *raptum ierit*: phraſi illi vſitata. Sic pag. 493. *Mox vt Othonem ac Vitellium ſceleſtis armis res romanas raptum ire vulgatum eſt.*

Non ſine rumore, Apicio diuiti & prodigo ſtuprum venum dediſſe. Man. *veno dediſſe.*

149 *Fiducia ipſis, in ceteros metus crederetur.* Alij legunt, *creſceret*; alij, *crearetur*; alij, *dederetur*, vel, *dideretur*. Man. corruptè habet, *credetur*. Ego vulgatam lectionem vtcumque non ſperno. Seianus enim, cùm cohortes in vna caſtra conduxiſſet, voluit Tiberium quoque ipſum, ac populum romanum decipere; vt ſcilicet crederent, illam militum coniunctionem, ad ipſorum fiduciam, & ad metum ceteris intendendum factam fuiſſe, cùm re vera ad maiorem ſibi potentiam parandam pertineret.

151 *Quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quatuor legionibus coercitum.* Man. *coercita.*

153 *Sibique & poſteris confirmaret.* Mihi magis placet, *conformaret*, quod in Man. legitur.

154 *Poſt Sabina nobilitas, Appius Clauſus.* Lipſius legit, *Atta*, vel, *Attius*. Man. autem habet, *Attus Clauſus.*

Vbi locus veneficij, tempus, compoſita ſunt. Aliquanto meliùs Manuſcriptus: *vbi locus veneficij, tempuſque compoſita ſint.*

156 *Ob atrocitatem temporum in Inſulam Amorgum deportatur.* Lipſius corrigit; *ob atrocitatem morum.* At ego exiſtimo, vulgatam lectionem

ſubſiſtere poſſe, hoc ſenſu: Cùm illa ætas, illaque tempora, propter inſolentiam Proconſulum, corruptiſſima eſſent, ideo ſeueriùs in Silenum animaduerterunt, quò alijs exemplo eſſet. Suetonius in Tib. cap. 48. dixit; *ad mitigandam temporum atrocitatem.*

Et quando exiret è iure patrio, qui id flaminium apiſceretur. Lipſius defectum hunc locum cenſet: qui tamen mihi integer videtur. Çùm enim Tiberius dixerit, paucos tunc repperiri patritios, confarreatis parentibus genitos, ad flamines eligendos, eo quod confarreandi vſus omiſſus fuerit; tres addit omiſſæ confarreationis cauſas, ſcilicet, incuriam, cærimoniæ difficultates, & quia electus flamen, ac mulier quæ ei nuberet, ex patria poteſtate per leges exirent, quod valdè moleſtum erat parentibus, ideoque confarreationem negligebant. Petebat itaque Tiberius, vt ſenatus decreto, vel lege, huic rei mederetur. & idcirco lata lex eſt, qua lege, flaminica Dialis, ſacrorum quidem cauſa in ſolius viri poteſtate eſſet: at in ceteris, id eſt præter ſacra, in patris ſimul & mariti manu eſſet. Idem de hoc loco ſentiunt Vertranius Maurus, & Ioſias Mercerus. 158

Quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios diſpergatur. In Man. legitur, *diſpergebatur.* 159

Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemque tanto merito rebatur. forte legen-

dum; *imparemque ſe tanto merito rebatur.*

160 *Sed liberalitas Auguſti auulſa, computatis ſingillatim quæ fiſco petebantur.* Sunt qui interpretentur, Tiberium computari ſingillatim curauiſſe omnia Silij bona, fiſco debita, præter illa quæ Auguſtus liberaliter eidem dono dederat; quæ ſcilicet auulſa fuerint à ceteris bonis, vel à fiſco ipſo, & quaſi exempta. Si talis igitur eſt ſenſus, videtur legendum: *ſed liberalitate Auguſti auulſa, computatis*, &c. ſuſpectus tamen apud me hic locus remanet.

Nam pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius deflexit. Man. habet, *in melius flexit.*

162 *Nam priores duces ſibi impetrando triumphalium inſigni*, &c. corrigit Lipſius, *vbi impetrando.* Verè; namq; indicatur hæc correctio à Man. in quo legitur; *nam priores duces ſub impetrando.*

164 *At ille dilectis circumſtipatoribus.* Vitium in verbo, *dilectis*, animaduertit Mercerus, qui legit, *diſiectis.* Ego autem potiùs reſcribo, *deletis*, cum Man. habeat, *delectis.* ſic infrà, pag. 180. *deleto promptiſſimo quoque aut ſaucio.*

165 *Nomen viri Q. Vibius Serenus in ſenatum inducti ſunt.* Rectè Lipſius, qui corrigit, *nomen vtrique Vibius Serenus*, cum Man. hoc ipſum denotet, qui habet; *nomen virique Vibius Serenus.* At aliquid amplius huic loco requiritur, vt integrè ſanetur. nec verbum, *ſunt*, Taciti phraſim olet, qui plerunque illud omittit. in cuius locum videtur poſſe aptiſſimè reponi, *ſenex:*

idque

idque neceſſitas diſtinctionis exigit, cùm paulo poſt dicat, *adoleſcens*. Sic igitur legerem: *nomen vtrique Vibius Serenus, in ſenatum inducti. Senex ab exilio*, &c.

Miſſosque in Galliam concitores belli. Dele copulam, *que*: abeſt enim à Man.

Innocentem Cornutum, & falſa exterritum. Muretus legit; *falsò*. dubito an melius, *falſis*.

Gallus Aſinius Gyaro, aut Donuſa claudendum cenſere. Lipſius interpretatur, *cenſere*, pro cenſebat. quod mihi non placet: ac potiùs legerem, *cenſuit*. Man. habet, *cenſeret*. Muretuſque addit, *cùm Gallus Aſinius*. Sed coniectura tantùm. Harum Inſularum meminit Virg. in 3. Æn. vbi tamen, *Donyſa*, legitur. 166

Et eaſdem exitu cauſas coniungimus. puto legendum; *& eaſdem exitij cauſas.* 168

Reperies qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta ſibi obiectari putent. Plin. Paneg. *vt in ſe dicta interpretaretur, quæ de ſimillimo dicerentur.*

Etiam gloria ac virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens. Obſcurus locus, & qui me alioſque vexauit. Mihi olim viſum eſt, tripliciter interpretari poſſe. Primò: Cùm proxima ſit ætas earum rerum quæ ſcripta ſunt, lectoris animus, aliorum virtutes narratas redarguet, eo quòd diuerſas vel ipſe viderit, vel ab alijs illius ætatis audierit: quod in antiquis hiſtorijs non contingit, in quibus fides ſcripto-

ribus adhibenda eſt. Secundò: ſi virtutes relatas Lector ſibi, ſuoque captui, propinquas ac familiares minimè agnoſcat, ſtatim animo & cogitatione illas arguet, falſasque putabit. Eritque huic ſententiæ ſimile, quod ait Salluſtius in prohemio Catil. ſumptum ex Oratione Periclis apud Thucid. lib. 2. *Vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quæ ſibi quiſque facilia factu putat, æquo animo accipit: ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit.* Tertio: Gloria quoque ac virtus odioſæ ſunt, ſicuti etiam animus ac mens ſcriptoris, qui ex propinquo arguere ac vituperare diuerſa videatur. Attamen nullus horum ſenſuum mihi ſatis probatur. Ilcienſis enim Comes ſuprà memoratus, qui multas Mureti notas ad Tacitum mihi humaniſſimè communicauit, me nuper monuit, apud eundem Muretum legi: *vt nimis ex propinquo diuerſa arguens*, hoc ſenſu: Etiam gloria ac virtus odio habentur, vt quæ nimis ex propinquo, id eſt nimis propè, ac quaſi coràm & ſub oculis hominum, diuerſa vituperare, ſeu aliorum vitia exprobrare videantur. Hanc itaque ſententiam probaui, eo magis, quòd in Man. legitur, *vt animis*. Atque, vt hic, *ex propinquo*, ita alibi Tacitus eodem ſenſu vſurpaſſe videtur, *è proximo*. Nam hiſt. lib. 2. pag. 527. ait: *Et Triaria licentiam, modeſtum è proximo exemplum onerabat, Galeria Imperatoris vxor.* Quod idem Ilcienſis obſeruauit.

An

An illi quidem ſeptuageſimum ante annum per- 169
empti. Fortè melius legetur: *at illi quidem*, &c. interrogationis nota in verbo, *retinent*, deleta.

Proinde ſocios, ciues, & deos & deas ipſas precor. 171
proculdubio legendum eſt; *ciues, & deos ipſos precor*; deabus illis ablegatis. Nam Man. habet, *ciues, & deos & deos ipſos.* vbi apparet, malè ingeminatum fuiſſe à librario illud, *& deos*, quod cenſor aliquis deinde mutauit, *& deas ipſas.*

Rurſum Seianus, non tam de matrimonio. lege, 173
non iam. Seianus enim territus, matrimonij mentionem omiſerat.

Sed altiùs metuens tacita ſuſpicionum. metuebat ſcilicet Seianus, ne Tiberius in ſuſpicionem tacitam incidiſſet earum rerum, quas ipſe animo verè agitabat, de imperio adipiſcendo.

Sublatiſque inanibus, vera potentia augere. vi- 174
detur legendum, *augeri*, Muretus tamen mallet, *veram potentiam augeri.*

Quod ſi vatum, annalium ad teſtimonia vocen- 175
tur. Fortè legendum eſt, *annaliumve teſtimonia*, vel, *annaliumque.*

Magnæ opes innocenter partæ. Bene. tamen Manuſcriptus habet, *paratæ.*

Ipſe electus, cui minor Antonia, &c. In Man. legitur, *Ipſe deiectus.* reſcribe ergo, *delectus.*

Mox verſi in luxum, & capti opulentia. Per- 178
peram mutatus hic locus fuit, cùm rectè ſe ha-

beret in Man. *& raptis opulenti.* hoc eſt, ijs quæ rapuerant facti diuites.

Thracum auxilia, repentino concurſu territa. Man. habet, *repentino incurſu.*

Cùm pars munitionibus adiacerent, plures extrà pabularentur. Man. *extrà palarentur.*

Poſtquam caſtello, aut coniunctis tumulis non digrediebantur. Man. *degrediebantur.* Rectè. degredi autem, non digredi, dicitur, quum ex altiori loco in inferiorem deſcenditur. Quod verbum ſæpè in Liuio emendauit Carolus Sigonius.

180 *Et proxima, ſponte inimicorum recepta.* Mureto adſentior, qui corrigit, *ſponte incolarum.* Man. quidem habet, *ſponte incorum:* vt appareat, ſyllabam, *la*, omiſſam à librario fuiſſe. Sic etiam loquitur Tacitus infra, pag. 319. *cetera terrore, & alia ſponte incolarum, in deditionem veniebant.*

Sed imaginem veram cœleſti ſanguine ortam. Muretus legit, *ſe imaginem veram.*

181 *Ideo lædi, quia non regnaret.* In Man. legitur, *n̄ ideo lædi.* Vnde fortaſſe reſtituẽdum eſt: *Num ideo lædi, quia non regnaret?* Nam & Suetonius interrogatiuè hanc ſententiam pronunciat: *ſi non dominaris filiola, iniuriam accipere exiſtimas?*

Neque aliud probis quam ex matrimonio ſolatium: eſſe in ciuitate, Germanici coniugem, &c. Leuiter tentaui, an ex hoc loco commodus ſenſus elici poſſit, hac tantum diſtinctione: *neque aliud probis*

probis quam ex matrimonio ſolatium eſſe in ciuitate. Germanici coniugem, &c. vt addat, *in ciuitate*, eo quòd in ea ſint plura incitamenta peccandi. Nihilominus ſuſpicor mendoſum eſſe locum, cum in Man. ſit huiuſmodi Lacuna: *in ciuitate.......... Germanici.* ac pro, *dignaretur*, legitur ibi, *dignarentur.*

Sed Cæſar quo famam auerteret, &c. An frequens ſenatui adfuit, vt alijs negotijs diſtrictus, ſe ab illis cogitationibus alienum oſtenderet, & ſic vulgi rumor langueſceret? An, cum rumor eſſet, ſecretum ad perpetrandum facinus quæri, ipſe falſum arguere voluit, cùm Romæ, & in ſenatu frequens ab omnibus aſpiceretur? An potius hac arte illos vulgi ſermones aliò traducere voluit, cùm nouis Aſiæ negocijs omnes intenti futuri eſſent? Hanc certè, pro reliquis Tiberij artibus, Taciti mentem fuiſſe crediderim. 182

Cùm id Smirnam in concionem nunciatum foret. videtur legendum, *in concione.* 183

Et quia Lepidus ipſe diligi ſe per modeſtiam abnuebat. Verè ad ſenſum emendauerat Mercerus, *diligi à ſe*, quod Lipſio etiam probabatur. At verior eſt lectio Manuſcripti: *& quia Lepidus ipſe deligere per modeſtiam abnuebat.* Nam licet conſenſu ac decreto ſenatus mittebantur legati, electio tamen ſolebat plerunque ipſis ducibus permitti, vt viros ſibi gratos ſecum ducerent. Liuius lib. 44. *Senâtus Cn. Seruilio Conſuli*

ſuli negotium dedit, vt is in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, legaret. & alibi apud eundem Liuium, frater fratrem, filius patrem ſibi legaſſe dicitur. Quem morem violatum Cicero Vatinio obijciens, ait: *Audire de te cupio, quo tandem S. C. legatus ſis. ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis autoritate legarentur?* Idem in Sextium. *quos legatos, non modo nullo S. C. ſed etiam repugnante ſenatu, tute tibi legaſti.* Vide Lipſium de mil. rom. lib. 2. dial. 11.

Tandem Cæſar in Campaniam. Lipſius legit, *Cæſar ijt Campaniam*, quod non placet, ac potius vellem, *Cæſar in Campaniam ijt*, fortaſſe ſcriptum erat, *in Campaniam ijt*, vnde facilis error.

185 *Adſimulabatque iudicis partes.* Muretus legebat, *indicis.*

186 *Sed in ſordida mercede id negotium quæſiuiſſet.* puto legendum, *in ſordidam mercedem.*

Virilis ac muliebris ſexus. Man. *virile ac muliebre ſexus.* Rectè. ſic Plaut. Rud. *virile ſexus nunquam habui vllum.*

Aut qui circum adſtabant, in præceps trahit atque operit. In Man. ſimpliciter legitur, *præceps trahit.* Simili modo loquitur Tacitus infrà, pag. 212. *Euerſio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat.*

188 *Eueniſſe id olim Claudiæ Quinctiæ.* Ex hiſtoria

ria

ria emendauit Lipſius, *Claudia Quincta.* quod ego ex Manuſcripto confirmo.

In quo tantum in principem honorem dij oſtenderint. Man. habet, *oſtenderent.*

Cum auxilium appellatum ductauiſſet. Man. corruptè: *appellatum tauiſſet:* Affirmat Vertranius, autoritate Alicarnaſſei, Vibennam hunc appellatum non fuiſſe, ſed ſponte ad Romulum tranſijſſe. Vnde ſuſpicor legendum eſſe: *cum auxilium ad bella ductauiſſet.*

Speciem arta amicitia facere Muretus, *fecere.* 190

Non imprudentem Tiberium tantum inuidiam adijſſe. Man. *non prudentem.* ſuſpicor de mendo. 191

Verum vt cunctationes principis aperirentur. 192
Valdè aſſentior Mureto legenti: *vt cunctationes principis opperirentur.* Seiani enim mens erat, vt ad perniciem Neronis & Agrippinæ Tiberium accenderet. Sed quia verebatur, ne ſubita & improuiſa illius ira ſtatim placaretur, potius voluit eum mitigare, vt diutina cogitatione grauiùs & implacabilius iraſceretur. ideo ſequitur; *gnarus lentum in meditando,* &c.

Vt in vſus militares coria boum penderet. id eſt, in vſum tentoriorum & ſcutorum. Vide Lipſium de mil. rom. lib. 5. dial. 5.

Haud ſpernenda illic ciuium ſociorumque manus. videtur legendum *manu.* 193

Inferioris Germaniæ proprætori. Man. *proprætore.*

Neque dux Romanus vltum ijt. legendum puto: *neque dux Romanos vltum ijt.* multi enim Romani ceciderant, Tribuni, Præfecti, ac Centuriones.

ANNALIVM LIB. V.

196 *ET cum artibus mariti, ſimulatione filij bene compoſita.* id eſt, modum ac temperamentum adhibuit inter Auguſti artes, ac Tiberij ſimulationem: adeoque ſe geſſit, vt potentiam ſuam apud vtrumque conſeruauit. Ergo illa quoque artificioſa ac ſimulatrix fuit.

Ceterum ex eo prærupta iam & vergens dominatio. Ita emendauit Lipſius, cum in Man. legeretur, *vrgens.* Mihi autem nulla cauſa videtur, cur priſcam lectionem negligamus. Nam vergens dominatio dicitur, cùm principis potentia ab ipſo culmine declinare incipit, ac paulatim infringitur. at non ea hîc Taciti mens. imo oſtendit, Tiberium, dum mater vixerit, mitem atque exorabilem aliquando fuiſſe, propter inueteratum erga illam obſequium, ad quam miſeris erat adhuc perfugium. Sed matre defuncta, velut frenis exolutus, prorupit: ideoque prærupta & vrgens ipſius dominatio facta eſt, id eſt ſæuior ac violentior.

197 *Dandumque interſtitium pœnitentiæ ſenis.* corruptiſſimè legitur hic locus in Man. id eſt: *quandoque germanicis titium paenitentiæ ſenis.* Quæ

Quæ verba hîc referre volui, ſi fortè alia correctio acutioribus ingenijs in mentem venerit.

Circumſiſtit curiam, feſtiſque in Cæſarem ominibus, &c. Mureto placet, *fauſtiſque.*

Nec vltrà deliberatum, quo minus non quidem extrema decernerent. Non ſperno, ſed Taciti magis proprium videretur; nec vltrà dubitatum. 198

Sollertius interrogato quiſnam foret, dixit ſe M. Silano genitum. In Man. legitur, *ſollertiùs interrogatum quiſnam foret, dixiſſe M. Silano genitum.* 200

Sed vt noxium coniurationis ad diſquiſitionem trahebat. Muretus legit, *ſed vt conſcium.*

ANNALIVM LIB. VI.

T*Vncque primùm ignota antè vocabula reperta ſunt.* Licet nimis leue fortaſſe videatur, monebo tamen, in veteri codice ſcriptum eſſe: *ignota antea vocabula.* 202

Et bona Seiani ablata ærario, vt in fiſcum cogerentur, tum retulere Scipiones. Verè mutilum eſſe hunc locum affirmat Lipſius. atque hæc verba, *tum retulere*, à quodam diuinatore potiùs quàm correctore reſtituta fuerunt. In Man. enim æquè corrupta hæc leguntur; *tam referret Scipiones.* Ego abſtineo manum.

Et ſummum ſupplicium decernebatur, ni profeſſus indicium foret. Alios ſcilicet accuſauit. Obſeruandum igitur, propoſitam fuiſſe impunita- 209

tem reís, qui indicio ſuo alios ſibi reos ſubſtituiſſent. Inferiùs, pag. 206. ait: *ſed Minutius, & Seruæus damnati, indicibus acceſſere.*

Vt verò Latinium Làtiarem ingreſſus eſt. Non malè: ſed fortè melius, *aggreſſus eſt.*

Gratiſſimum ſpectaculum præbebatur. Muretus, *præbebant.*

204 *Cur mutua accuſatione intenta.* Legendum puto, *intentata.* ſuprà enim apparet, eos, poſtquam depoſuiſſent magiſtratum, ſe ipſos inuicem accuſare minatos eſſe.

Neque contatius à primoribus ciuitatis reuincebatur. De mendo ſuſpicor, nam Man. habet; *neque cuncta à primoribus.*

205 *Quid ſcribam vobis P. C. aut quòmodo ſcribam.* Man. *aut quando ſcribam.*

207 *Et Vicinianus Pollioni patri adijciebatur.* Lipſius ex Dione emendat, *Vinicianus.* Verè, nam Man. idem habet.

208 *Quâ occupandæ reip. argui non poterant.* videtur legendum, *quia occupandæ.*

210 *Sanus repertus apud fretum Siciliæ, retractuſque.* Lipſius ait, ſuſpectum ſibi eſſe illud, *ſanus:* & meritò. ego olim reſtituendum putaui: *Nam is repertus,* iiſdem ferè ſcripturæ veſtigijs. Nouiſſimè autem à Mercero emendatum fuit: *ſane is repertus.* quod mihi rectius videtur.

Facilitate ſæpius quam induſtria commendabatur. dubito, an legendum ſit, *felicitate.*

Dein redditis abſentiæ cauſis admodum vagis. Mure-

Muretus legit, *admodum vanis.* quod vulgatæ lectioni non anteferam.

Et offenſiones ob remp. cœptas. Idem Muretus mallet, *ob remp. ſuſceptas.* 211

Si debitor populo in duplum prædiis cauiſſet. Vocem, *prædus*, non ſperno. tamen ſuſpicor, Tacitum ſcripſiſſe, *prædibus.* 212

Ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe. Cenſeo legendum & diſtinguendum: *& ſaxo Tarpeio deijcitur, vt nec dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe: aurariaſque eius,* &c. ſuſpicor tamen mendoſa eſſe illa verba, *malo vertiſſe*, propter nouitatem locutionis. Nam ſenſus videtur: adeò Marium peremptum, vt dubium non fuerit, magnitudinem pecuniæ exitio illius cauſam dediſſe. fortè legendum, *malè vertiſſe*, hóc eſt, malè ei cecidiſſe, ac perniciẽ attuliſſe. Plautus in Perſa: *ſi malus aut nequam eſt, malè res vertunt, quas agit.* Ter. Adelph. *minis viginti tu illam emiſti, quæ res tibi vertat malè.* Virg. Ecloga 9. 213

Hos illi, quod nec benè vertat, mittimus hœdos.

Inluſtres, ignobiles, diſperſi, aut aggregati. fortè meliùs in Man. legitur, *diſperſi, aut aggerati.*

Quoties ſuper negotio conſultaret. Man. habet: *Quotiens ſuper ta negotio:* fortè, *ſuper tali negotio.* vel *ſuper eo negotio*: id eſt, præſcientiæ. 214

Ceterùm plurimis mortalium non eximi, &c. Lipſius legit, *non eximis.* Ego autem exiſtimabam, *eximi*, optimè ſe habere, cùm regi videa- 215

tur à ſuperiori verbo, *putant*; ſicut etiam verba, quæ paulo poſt ſequuntur, *cadere*, & *corrumpi*. At Manuſcriptus habet, *non eximitur*. quod fortaſſe rectius.

Cuius clara documenta, antiqua ætas, & noſtra tulerit. Repone ex Man. *& antiqua ætas*.

Scilicet medio triennio defuerat tempus. intellige, *medio triennio*, id eſt, à tempore accuſationis, ad mortem.

Tradidere quidam, deſcriptum fuiſſe Macroni, &c. Muretus legit, *præſcriptum*.

216 *Vt quemadmodum nurum, filium fratris, & nepotes*, &c. Addit copulam Manuſcriptus; *filiumque fratris*.

218 *Sacrum ſoli id animal, & ore ac diſtinctu pinnarum*, &c. ſuſpicor legendum: *ſacrum ſoli id animal, colore ac diſtinctu pinnarum*.

Conſentiũt qui formam eius definiere. In Man. legitur, *deffinere*: ſed litera *d*, à recenti manu addita eſt. vnde exiſtimo, veram lectionem eſſe, *effinxere*.

Mille quadringentos ſexaginta vnum interijci. Nimis exacta ſupputatio. Ego corruptum puto illud, *vnum*, & fortaſſe reſtituendum, *annos*, niſi potius credendum ſit, maius vulnus latêre, ac præeunte Mureto legendum: *mille quadringentos ſexaginta: vnum in terris: prioreſque alites*, &c. Nam veriſimile eſt, hoc etiam addidiſſe Tacitum, vnum tantùm in terris Phœnicem reperiri.

Inſti-

Inſtituta Parthorum ſumit, patriis moribus im- 221
par. Cùm Man. habeat, *inſumit*, ego legendum
puto, *reſumit*. ſcilicet poſt longã deſuetudinem.

Et vrbẽ Artaxata potiuntur. priſca lectio, *vrbe.* 222

Ac ſæpè modum obſidij ſtationibus cingebat.
Muretus addit, *in modum obſidij.*

Decus quiſque ſuum & fidem retineret. Man. 225
retinerent.

Mox quoque dicta vulgari malebat. Idẽ Man. 226
mox quoquo modo.

*Quaſi aſpiciens vndantem per domos ſangui-
nem, aut manum carnificum.* Reſtitue ex eodem
Man. *aut manus.*

Clitarum natio Cappadociæ, Archelao ſubiecta. 227
Idem Man. habet; *Cappadoci Archelao.*

Et ſi qui alij dilectum capiendo diademati diem 228
non concelebrauerant. In Man. legitur, *diem haci*,
vt appareat fuiſſe, *haut*, quomodo aliquando
ſcriptum in eo libro reperitur: ac frequenter
etiam hæ voces, *illut, aliut, aput, ſet, at quot*, pro
ad quod, & aliæ ſimiles: licet ſæpiùs per *d*. Quo-
niam verò ea vox, *haut*, in omnibus recentio-
ribus libris iam recepta eſt, ego vbique reſcri-
bendum cenſeo, *haud*, vt ferè ſemper habent
antiquiſſimi Codices. neque ita ſcriptitaſſe lati-
nos veteres credendum eſt, niſi fortè in priſca
illa antiquitate.

Et Tiridates ignarus ad pericula erat. Man. *igna-* 229
uus.

Nihil abnuentem, dum dominationis apiſcere- 230

tur. ſuſpicor legendum eſſe, *dominationem*, vt infra ad pag. 272. adnotabo.

232 *Quòd inter ludibria & pericula anxiam ſenectam tolerauiſſet.* Vide quid ſibi velit Manuſcriptus, in quo legitur; *quòd inter ludibria & pericularia anxiam*, &c.

233 *Non quidem regere valetudines principis ſolitus.* legendum puto, *valetudinem.* nam fortè ſcriptum erat, *valetudines:* vnde error, de quo aliàs monui.

ANNALIVM LIB. XI.

235 *QVos ille à Lucullo emptos inſigni magnificentia extollebat.* Florentinus Codex, de quo in præfatione dixi, habet, *cœptos.* quod omnino probum exiſtimo. Cœperat enim eos olim Lucullus magnificè ædificare, ſed non perfecerat. at Aſiaticus poſtea emptos abſoluebat, extollebatque. Falſum eſt igitur illud, *à Lucullo emptos*, cùm neque Luculli nepotes nouiſſe Aſiaticus potuerit. Abſurdumque etiam eſſet intelligere, emptos à Lucullo, id eſt, quos ipſe Lucullus emerit.

Non extimuiſſe concionem populi romani, gloriamque facinoris vltrò petere. Flor. habet: *non extimuiſſe concionem populi romani fateri, gloriamque*, &c. Vnde ſuſpicor, num legendum ſit: *non extimuiſſe concionē populi romani, fateri, gloriamque*, &c. vt ſubintelligatur repetitum, non extimuiſſe etiam fateri, atque gloriam petere.

Dedita

Dedita per prouincias fama. Rectè Lipſius 236
legendum cenſet, *didita:* nam haud aliter in
Flor. legitur.

Et Suilius corruptionem militum, quos pecunia,&c. Florentino aſſentior, qui habet, *& Suilio:*ac deinde,*obiectante*.ita vt diſtinguatur.*Meſſalina coràm.Et Suilio corruptionem*,&c.

*Vtque Antoniam Principis matrem pariter obſeruaſſent.*Flor.*obſeruauiſſent.*

Vſurpatis quibus inſueuerat exercitationibus. 237
ex veteribus libris reſtitue copulam; *& vſurpatis.*

At cauſa necis ex eo quòd domum ſuam Mneſteris & Poppaea,&c. Flor.*Ac cauſa necis.*

Cùm idem, inquit, de admiſſis Poppaea ſentiam quod omnes. Idem liber corruptè habet; *de admiſſis Poppaea aſſen eſſentiam.* Alij duo Manuſcripti non adeò veteres, qui ſunt in eadem bibliotheca Medicea, *aſſentiam.* Hæc & ſimilia mendoſa loca non pigebit aliquando hîc adſcribere, vt ſtudioſi ſuper ijs cogitare poſſint.

Et poſtquam annuit tacens, incipiunt. In Flor. 238
legitur; *& poſtquam annuit, tacere*, &c. ac ſuprà, alia manu, antiqua tamen, ſcriptum eſt; *agere.*

Se modicos ſenatores, qui à rep. nulla niſi pacis 239
emolumenta peterent. Cùm Flor. habeat; *qui & à rep.* videtur legendum: *ſe modicos ſenatores, quieta republica, nulla niſi pacis emolumenta petere.* Verè. reſpondent enim verba illa, *quieta*

republica, ad id quod ſuprà dixit, *bellorum præmiis refertos.*

Quæ egreſſi, repetundarum tenerentur. Flor. habet, *quem egreſſi.* ſcilicet, quem modum. Vtrumque rectè.

Acciuere Bardanem. Idem addit, *& acciuere.*

240 *Deinde literis Cæſaris coercitus.* Breuiùs Flor. *dein literis Cæſaris.* Idem paulo infrà, pag. ſeq. *dein præualuit Gothartes.*

Potior Bardanes viſus retinendo regno. Reſtituenda copula ex Flor. *Potiorque Bardanes viſus.*

Exin validiſſimas præfecturas inuaſit, & reciperare Armeniam, ni, &c. Flor. item corruptus & auctior: *exin validiſſimas præfecturas inuiſit, & recuperare Armeniam habeat, ni,* &c.

242 *Fabuloſa, & externis miraculis aſſimulata.* Vetus noſter habet, *adſimilata.*

Theatralem populi laſciuiā ſeueris dictis increpuit. Repone ex Flor. *ſeueris edictis.*

Fonteſque aquarum Simbruinis collibus deductos. In eodem legitur, *ſub Imbruinis.*

243 *Et quia externæ ſuperſtitiones valeſcant.* Venetus Codex in præfatione nominatus, habet, *inualeſcant.*

244 *Iamque ad proximos, iam longiùs clareſcere.* Fortè meliùs in Flor. *Iamque apud proximos.*

Adeò neminem iiſdem in terris ortum, qui principis locum impleat. Idem Flor. habet, *qui principem locum.*

Quàm

Quàm parentes eius exercuiſſe. legendum puto, *parentem eius:* cùm ſuprà dixerit: *ſi paterna Italo mens eſſet.* & inferiùs ait: *nec patrem illi rubori.* Ortus error eſt ex ſcriptura, *parentes*, de quo aliàs ſuprà monui. At Italus iſte in Flor. vbique, *Italicus* nominatur.

Feruntque militem, quia vallum non accinctus, &c. Ex more enim ac diſciplina, gladium etiam in opere geſtare debebant. Veget. lib. 3. cap. 8. *Milites gladio cincti foſſam aperiunt.* 245

Aduerſa in remp. caſura: cùm proſperè egiſſet, formidoloſum paci, &c. Affirmat Lipſius, locum non eſſe integrum. quem tamen ego olim ſanare tentaui, hac diſtinctione tantum: *Cur hoſtem conciret (aduerſa in remp. caſura) cùm proſperè egiſſet? Formidoloſum paci virum inſignem, & ignauo Principi prægrauem.* Sicque eſſet optima ſententia, clarusque ſenſus. Incuſabatur enim Corbulo, poſt proſperas res, irritauiſſe hoſtes, vnde aliquid aduerſi Reip. timeri poterat. atque illud, *aduerſa in remp. caſura*, eſt appoſitionis forma, Tacito ſæpiùs vſitata. At cùm nuper Ioſiæ Merceri ſententiam ſuper hoc loco vidiſſem, valdè illam ſum amplexus. Is enim legendum putat: *Cur hoſtem conciret? aduerſa, in remp. caſura: ſin proſperè egiſſet, formidoloſum paci virum inſignem,* &c. Quod vt facilius probem, ſuadet Flor. noſter, in quo legitur: *aduerſa in remp. caſuras in proſperè egiſſet.* vbi extare vides literam *s*, quam Mercerus ex coniectura adijcit. 246

Ne tamen miles otium exueret: Lipſius legit, *vt tamen:* vel pro, *exueret*, reponit, *exerceret*. Ego potiùs ſuſpicor ſcriptum fuiſſe: *Ne tamen miles otium tereret*; quemadmodum dixit Tacitus infrà, pag. 510. *Ac ne ipſorum miles ſegne otium tereret*. Nihilominus illud, *vt tamen*, à Lipſio reſtitutum, ferè congruit cum Flor. codice, qui habet: *vi tamen miles*.

Qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus. Muretus legit, *quia in agro*.

247 *Gn. Nouius inſignis Eques romanus.* In Flor. ſcribitur, Gn. *Nonius*. ibique, & in antiquis editis abeſt vox, *inſignis*. Quod autem ſequitur, *de ſe Nouius conſcios non_ edidit*. habet idem Flor. lacunam eandem, quæ, vt ait Lipſius, extat in Farn. codice.

248 *Valerius Potus, Æmilius Mamercus.* Addit Flor. copulam: *& Æmilius Mamercus.*

Suffeciſſe olim indigenas, conſanguineis populis. Hoc eſt, Vrbis huius indigenæ, vnà cum conſanguineis populis, ſuffecere olim Reip. romanæ. & ſic cenſeo locum eſſe integrum. nam aliàs videtur Tacitus ſimili modo locutus. vt infrà, pag. 481. *Erat Othoni celebre conuiuium, primoribus feminis viriſque.* & 707. *Omnes eiuſdem ſanguinis, populi legationibus coeunt.*

Aut ſi quis pauper è Latio Senator foret? Lipſius legendum dubitat, *Ecquis pauper.* Ego tamen commodum hinc elicio ſenſum, vt ſcilicet repetat: quem vltrà honorem pauperibus etiam, ſi aliqui

aliqui ſunt è Latio, qui Senatores nunc euadere poſſunt? quaſi dicat, tunc non vltrà hís erit honori locus.

Quid ſi memoria eorum inoriretur, qui Capitolio, &c. In Flor. quoque corrupta hæc leguntur ſic: *quid ſi memoria eorum moreretur, qui Capitolio & ara romana manibus eorundem per ſe ſatis.* 249

Etiam ſtatim contrà diſſeruit. Idem Flor. *& ſtatim.*

Non, vt plerique falluntur, recens. Idem, *repens.*

Lætaque hæc in R. P. munia, multo gaudio Cenſoris inibantur. Claudiùm per iocum Cenſorem appellat. dixit enim ſuprà, pag 242. *munia Cenſoria vſurpans.* id eſt, quæ ad ſe non pertinerent. 250

Mitem & recens repertam quandam ex ſeueritate priſca rationem adhibuit. Rectè dubitauit Lipſius de ſinceritate huius loci, quem ego Flor. noſtri autoritate emendo ſic: *mitem & recens repertam, quàm ex ſeueritate priſca*, &c. ſubintelligitur enim, *potiùs*, Corneliano more.

Quo cenſa ſunt ciuium LXVIIII. *centena, &* XLIIII. *millia.* Aliter ſe habent hi numeri in Flor. Codice, id eſt, *quo cenſa ſunt ciuium* LVIIII. LXXXIIII. LXXII. *Iſque illi finis*, &c.

Quippe non eò ventum, vt ſenecta Principis operiretur. Reſcribe ex Flor. *opperiretur.* nam aliàs ambiguæ ſignificationis eſſet. 251

252 *Dum induſtria cubiculum Principis occulit adulteros, dedecus quidem illatum.* Ferè cum alijs conuenit Florentinus, qui habet: *dum hiſtruo cubiculum principis exultabero dedeçus*, &c. Apparet igitur, vt etiam Lipſius animaduertit, de hiſtrione Mneſtere hìc mentionem fieri, qui inter Meſſallinæ adulteros erat. Ac fortaſſe amplectendum erit, quod Franciſcus Medices olim legendum cenſuit: *dum hiſtrio cubiculum principis perſultauerit, dedecus quidem illatum.* Is enim Franciſcus, qui fuit præterita ætate doctus & acris ingenij vir, contulit & ipſe Mediceum Manuſcriptum, atque in margine ſui Codicis multa adnotauit. Quæ cum mihi Iulianus Medices, ipſius Nepos, illique perſimilis, humaniſſimè communicauerit, magno mihi vſui fuere. Quod minimè reticendum fuit.

Sed excidium procul abfuiſſe. Idem Flor. habet, *ſed & ſcidium.* ſuſpicor legendum eſſe; *ſed diſſidium.* quaſi dicat; tunc matrimonij diſſidium inter Claudiũ ac Meſſallinam procul abfuit: nunc autem diſſidium factũ eſt, poſtquam ea Silio nupſerit. Videtur etiã hæc lectio confirmari ex eo quod inferiùs ait: *an diſsidiũ tuũ noſti?*

Nunc iuuenem nobilem, dignitate forma, iuuenta. Corruptam puto vocem, *iuuenta*, cùm præceſſerit, *iuuenem.* In Flor. legitur: *nunc iuuenem nobilem, dignitate, forma, vimentis.* quod mihi rectum videtur; niſi quod cum Lipſio legerem,

digni-

dignitate formæ. & ſic ſe inuicem reſpondebunt, dignitas formæ,& vis mentis.

Caliſtus iam mihi circa mortem Cæſaris narratus.Melius in Flor.*circa necem Cæſaris*.

Flagrantiſsimaque eo tempore gratia Pallas.Addit Florentinus,*eo in tempore*.

Perſtitit Narciſſus,ſolum id immutans.Flor.*vt ſolum id immutans*. Venetus,*& ſolum*.

Quod ei cis Vectium, cis Plautium diſsimula- 253
uiſſet. Ita emendauit Lipſius, cùm turbent libri veteres. Mihi autē non omnino probatur. nā ſic ſubintelligendū eſſet, Narciſſum antea Vectij & Plautij adulteria Claudio indicauiſſe, quod ex ſequentibus falſum apparet. Ideo ego potiùs legerē; *quod ei de Vectio & Plautio diſsimulauiſſet*.

Quibus fatentibus,tum certatim ceteri circumſtrepunt.Lipſius ait,ſcriptos libros habere: *Quibus tacentibus*. At Flor.noſter,*fatentibus*.

Igitur Meſſallina Lucullianus in hortos. Flor. *Fucilianos*. vnde dubitari poteſt, nū ſcribendum ſit, *Lucilianos*, vt Lipſius annuit. nam inferiùs, pag.256.clarè in eodem Man.legitur,*Lucilianis in hortis*. Veriſimilius tamē eſt, fuiſſe hortos Lucullianos, de quibus in principio huius libri fit mentio, & apud Plutarchum in vita ipſius Luculli.

Silius diſsimulando metu, ad munia fori digre- 254
ditur. Reſtitue ex Flor.*digrediuntur*.

Quanquam res aduerſæ conſilium adimerent. Flor. *eximerent*.

In eodem geſtamine ſedem poſcit, ſumitque. Idem, *aſſumitque.*

255 *Vibidiam depellere nequiuit, quæ multa cum inuidia,* &c. Idem habet, *quid multa:* atque in margine adſcriptum eſt, *quin multa.* quod verum cenſeo.

Ergo auditurum Principem. Idem: *Igitur auditurum.*

Cuſtodem Silio ac Meſſalinæ datum. Rectè Flor. qui habet, *cuſtodem à Silio Meſſallinæ datum.*

256 *Paribus laſciuiis ad cupidinẽ & faſtidio.* Idem; *ad cupidinem & faſtidia.*

Ac ſi contaretur, propinqua nox, &c. Idem: *ac ſi cunctarentur.*

Prorupit Narciſſus, denunciatque Centurionibus. Idem Flor. *prorumpit.* Verè, nam ſequitur, *denuntiatque.*

257 *Tum impetu venientium pulſæ fores, aſtitit Tribunus,* Idem: *cùm impetu venientium pulſæ fores, aſtititque Tribunus.*

Tribunus per ſilentium, ac libertus increpans. Idem, *at libertus.*

Decreta Narciſſo quæſtoria inſignia, leuiſſimũ faſtigij eius, &c. Hic locus à Lipſio, & ab omnibus, tamquam deſperatæ ſanitatis derelinquitur. neque ego aut demo, aut addo. tantùm experior, an aliquis ſenſus elici poſſit, hac ſola interpunctione: *Decreta Narciſſo quæſtoria inſignia: leuiſsimum faſtigij eius, cùm ſecundum Pallantem*

lantem & Caliſtum ageret. Honeſta quidem: ſed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis. Senſus eſt; leuiſſimam conceſſionem illam fuiſſe, reſpectu faſtigij, in quo Narciſſus poſitus erat, cùm apud Claudium primum locum obtineret poſt Pallantem & Caliſtum, qui, vt ait ſuprà, flagrantiſſima gratiâ erant. Simili ferè modo dixit infrà, pag. 271, *decretuſque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ eius apud poſteros.* Quod autem ſequitur; *Honeſta quidem*, (ſcilicet vt libertis nil amplius tribueretur, quàm quæſtoria inſignia) ironicè intelligendum eſt, pro temporum corruptione, in quibus valdè liberti pollebant. nam infrà, pag. 286. ait; *decreta Pallanti prætoria inſignia.* Item 290. *Claudius libertos ſibi & legibus adæquauit.* Sed cùm eorum flagitia Princeps inulta relinqueret, deterrima inde oriebantur, cùm ij quotidie in maiora flagitia prolaberentur.

ANNALIVM LIB. XII.

Q*Vis diligeret vxorem Claudio cœlibi vitæ intonanti.* plerique veteres libri, & manuſcripti, & editi, habent, *cœlibis vitæ.* & hiſtoria ipſa vbique oſtendit, Claudium ſine vxore viuere non potuiſſe, vt præſertim apparet in Suetonio cap. 26. Ergo reſtituendum eſt, vt olim correxi, *cœlibis vitæ intoleranti.* ſuprà, pag. 22. *laſciuiæ ſueta, laborum intolerans.* 149. *corpus illi laborum tolerans.* 662. *ſuperbia viri, æqualium quoque,* 259

adeo ſuperiorum intolerantis. Quod autem attinet ad verbum, *diligere*, monendus eſt Lector, in Florentino manuſcripto, atque in alijs veteribus quos viderim, vbique perpetuò ſcribi, *deligere*, &, *delectus*: ac ſuadeo, vt ita in omnibus libris corrigatur, propter ambiguum verbi intellectum, cùm aliud ſit *deligere*, aliud, *diligere*, vt eſt notiſſimum.

Vt quemque ſuadentium audierat, promtus. Muretus legit, *pronus.*

Haudquaquam nouercalibus odiis viſura Britannicum. Ven. atque alij antiqui editi habent; *vſura in Britannicum.*

Et familia Claudia, qua poſteros coniungeret. Tranſponit Muretus: *& qua familia Claudia poſteros coniungeret.*

160 *Iuuenemque, & alia clarum.* Ita emendauit Lipſius ex Vat. quod etiã habet Flor. In ceteris malè legitur, *alias.*

Cui non iudicium, non odium erat, niſi indita & iuſſa. Muretus legit, *indicta & iuſſa.*

Ferre crimina in Silanum. Venetus: *ſerere crimina.*

Fratriſque nõ inceſtum, ſed incuſtoditum amorem. Flor. *fratrumque.* quod etiam in Vat. legi teſtatur Lipſius. Intelligit autem, fratrum, hoc eſt fratris & ſororis.

Nullo exemplo deducta in domum patris, fratris filia. In eodem legitur, *deducta in domum patris, fratris filia.*

Quin

Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, &c. Lipſius hæc ita interpretatur: timuiſſe Claudium & Agrippinam, ne propter illud inceſtum populus ſperneret profani principis imperium: fortaſſe ductus exemplo alterius loci ſimilis in principio lib. 14. vbi ait; *perulgatum eſſe inceſtum, gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium.* Mercerus autem, qui hæc corrupta ſuſpicatur, corrigere mallet: *quin & inceſtui via ſi ſterneretur, ne in malum publicum erumperet metuebat.* Acutè quidem. Sed inceſtui ſternere viam, duriuſcula ſententia videtur, nec Taciti phraſim olere. Ideo potiùs vulgatam lectionem tueor, licet fortaſſe non integram, eodem ſenſu manente. id eſt: Quin & inceſtum ipſum Claudius & Agrippina metuebant, tanquam infamę factum: ac ſi ab ipſis ſperneretur, ne fortaſſe in malum publicum erumperet; ſcilicet, ne alij eodem exemplo vterentur.

Vnum ſe ciuium, & conſenſui imparem. Lipſius 261
mendum hîc notat, quod ego non ſentio. Reſpondet enim Cæſar, ſe vnum eſſe ciuium, & conſenſui (ſcilicet vniuerſorum ciuium) imparem.

Quod porrò honeſtius cenſoriæ mentis leuamen. ſuſpecta mihi ſemper fuit vox, *cenſoriæ*, præſertim in ore Vitellij, qui ipſe Cenſor erat. ac libenter legerem, *Cæſareæ*.

Nec diu inquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret. Flor. *Nec diu anquirendum.*

Statueretur imo documentum, quo vxorem Imperator acciperet. Lipſius corrigit; *quomodo vxorem.* quod ego non improbo. tamen apud me vulgata lectio nihil habet difficultatis: imo aliquid argutius præ ſe ferre videtur, cùm ſit vis quædam in verbo, *acciperet*, reſpondens ad id quod ſuprà dixit, *arripi coniuges.* Ait igitur: documentum hoc alijs Principibus erit, quo documento, vxores accipient, non arripient. Nihilominus ſuſpicor, locum non eſſe integrum, cùm in Florentino Codice ſit huiuſmodi lacuna, *quo vxorem imperator .... acciperet.*

Si contaretur Cæſar, vi acturos teſtificantes. Nec malè Ven. Codex. *vim acturos.*

262 *Addictum quaſi & virile ſeruitium.* Cum Lipſij coniectura conuenit Flor. qui habet: *Adductum, & quaſi virile ſeruitium.*

Et conſiliis eiuſdem ad ſpem dominationis vteretur. Meliùs credo legitur in Flor. *vterentur.* vt intelligatur, & de Domitio, & de Agrippina.

Qua hortaretur Claudius, deſpondere Octauiam Domitio. Flor. habet: *qua oraretur Claudius.*

263 *Ac ſecundum priorem neceſſitudinem.* Scribitur in Flor. *ſ priorem.* quod ego interpretandum puto, *ſuper priorem.* Vide quæ infra notaui ad pag. 463.

Quan-

Quanto ignara barbaris, tanto tolerantiora. Idem Flor.habet: *quanto ignata barbaris, tanto toleratiora.* Ex corrupta voce, *ignata*, æquè legi poteſt, *ignota*, atque *ignara*. tamen magis placet, *ignara*, vt etiam Lipſio. At verbum, *toleratiora*, proculdubio amplectendum eſt. Nam exempli cauſa, rectè dicas, ego ſum tolerantior laborum; falsò autem; labores ſunt mihi tolerantiores, ſed dicendum; toleratiores, vt Grammatici iubent. Cùm autem verbum *tolerare*, ſemper moleſtum aliquid ac minime gratum ſignificet, cur clementiæ ac iuſtitiæ iungitur; quæ virtutes ſunt, non modò non ingratæ; ſed maximè deſiderabiles? Cenſeo Tacitum ita locutum, propter barbariem Parthorum, qui virtutes illudere, ac pro vitijs interpretari ſolebant. ſicut de ijſdem ſuprà, in principio libri 2. dixit: *ſed prompti aditus, obuia comitas; ignotæ Parthis virtutes; noua vitia.* ſimilis locus eſt in fine libri 4. pag. 194. *Ibi campo aut litore iacentes, nullo diſcrimine noctem ac diem, iuxtà gratiam aut faſtus ianitorum perpetiebantur.* Gratia enim vilium ac ſuperborum hominum; ipſis etiam qui accipiunt inuiſa & odioſa eſſe ſolet. Hic itaque ait, Parthos eo faciliùs toleraturos has virtutes, quò magis illas experti non erant, quippe ſuperbæ dominationi aliorum Regum aſſueti.

Poſthac C. Caßio qui Siriæ præerat, &c. Aliter 264
diſtinguitur in Flor. ac fortè melius: *quietem velit. Datum poſthac C. Caßio, qui Siriæ præerat,*

deducere iuuenem ripam ad Euphratis. Abeſt enim ab eo verbum, *iubet.*

Reuocare priſcum morem, exercere legiones. Idem Flor. habet, *exercitare legiones.*

Id temporis importunam, quia hiems occipiebat. Mureto aſſentior legenti: *quia hiems occupabat.* Nam cùm poſtea dicat: *ex in niuibus & montibus feſſi*; ſignum eſt, hiemem iam maximè adultum fuiſſe.

265 *Qui tempore ſtatuto per quietem monet ſacerdotes.* Flor. *tempore ſtato.*

Rurſus deus quas ſiluas pererrauerint. Idem; *quâ ſiluas pererrauerit.*

Quod vnum reliquum, rem in caſum dare. Venetus: *quod vnum erat reliquum.*

Accituſque in regnum Vonones, Medis tum præſidens. Flor. habet, *Medos.* Sic ſuprà pàg. 151. *proximúmque Galliæ litus roſtratæ naues præſidebant.* Item pag. 193. *litora Oceani præſidebat.* vide etiam infrà ad pag. 272.

266 *Diffiſus propriis viribus Aquila & Cotys.* In Flor. legitur, *diffiſis.* Reſtitue ergo, *diffiſi.* de duobus enim ſermo eſt.

Quia Zorſines Soracorum Rex hoſtilia reſumpſerat. Flor. *Siracuſorum Rex.*

Media cohortes & Boſphorani tutabâtur, noſtris in armis. præcipuam Lipſij interpretationem probare non poſſum; ſcilicet, noſtros fuiſſe in armis, hoc eſt ad armos. Nam præter nouum loquendi modum, hiſtoria quoque repugnat.

ſuprà

ſuprà enim Tacitus dixit, Iulium Aquilam paucas cohortes habuiſſe, quas deinde in acie collocat vnà cum Boſphoranis. præter hos, nihil romanorum militum. ergo illud, *noſtris*, referri non poteſt ad milites romanos. ſed veram ſententiam cenſeo, quam idem Lipſius poſtremò cum quadam dubitatione tangit: id eſt, Boſphoranos, quia ſimul cum Romanis militabant, romano etiam ritu armatos & inſtructos fuiſſe. Idem ferè dixit ſuprà, pag. 83. *vt Tacfarinas lectos viros, & romanum in modum armatos, caſtris attineret.* 127. *pellicere alam equitum, quæ conſcripta Treueris, militia diſciplinaque noſtra habebatur.* 128. *quinta ſui parte legionariis armis.* 578. *mox donati ciuitate romana, ſigna armaque in noſtrum modum, deſidiam licentiamque Græcorum retinebant.* Hirtius de bello Alex. *Adiungit Gn. Domitius legioni* XXXVI*. duas à Deiotaro, quas ille diſciplina atque armatura noſtra complures annos conſtitutas habebat.* Cicero Philip. XI. *Deiotari regis, & patris, & filij, & magnus, & noſtro more inſtructus exercitus.* Suet. in Iulio, cap. 24. *Vnam ex Tranſalpinis conſcriptam, diſciplina, cultuque romano inſtitutam & ornatam,*

Ventum Soza opidum Dandaricæ. Flor. *Sozam.*

Exin Soracos pergunt. Idem Flor. *Exin in Seracos pergunt.*

Sed cratibus iunctis ac media humo. Sequitur Vaticani codicem noſter, qui habet, *crati-*

bus & vimentis, ac media humo. Suprà autem notatum eſt, *modica humo*, quod non probo.

267 *Et pleriſque Centurionum interfectis.* In veteribus pleriſque, vt ait Lipſius, legitur, *& pleriſque conſularium.* In Flor. autem, *conſiliarium.* vtrumque, credo, corruptè.

268 *Sibi & Claudio ex communione victoriæ eſſe.* Aliter Florentinus; *ſibi & Claudio, etiam communionem victoriæ eſſe.* ſicque etiam in Ven. legitur.

Bellorum egregios fines, quoties ignoſcēdo tranſigatur. In Ven. eſt. *tranſigantur.*

Cui inopi, quanto longiorem, vitam, &c. Flor. *quin inopi.* At vulgatam præfero, cùm fortaſſe ſcriptum fuerit, *quoi*, antiquo more. Idem error in veteribus libris ſępè irrepſit. Sic inf. pag. 309. *cui per nuptias Antoniæ gener erat.* vbi veteres habent, *qui per nuptias.*

270 *Exquiſitiore in Domitiū adulatione.* Flor. habet, *quæſtiore.* fortè, *quæſitiore.* Sic ſuprà pag. 84. *Excepere Græci quæſitiſsimis honoribus.* 118. *quæſitiores iam & plures Solon perſcripſit.* 135. *quæſitior adulatio fuit.*

271 *Vel delapſis improuiſi circumfunderentur.* Reſcribe ex Flor. *dilapſis.* Nō enim hîc ex ſuperiori loco in inferiorem erat deſcenſus.

Poſt quadrageſimum annum ſeruitio exemerant. Tranſponunt Flor. & Ven. *quadrageſimum poſt annum:* vſitatiore Taciti more.

272 *Mox diuturnitate in ſuperbiam mutans.* Comproba-

probatur hæc Lipſij correctio à Flor. cùm vulgò legeretur, *diuturnitatem*.

Scripſitque P. Attilio Hiſtro. Flor. *P. Atellio*.

Qui Pannoniæ præſidebat. Idem Flor. *Pannoniam*. Notaui etiam ſuprà, ad pag. 265.

Quia Ligius Hermundurusq; illic ingruebant. Flor. & Venetus, *ingruerant*.

Regnum Vangio, ac Sido, inter ſe partiti ſunt. Iidem Codices habent, *inter ſe partiuere*.

Egregia aduerſus nos fide. Vulgo, *apud nos*. Reſtituit Lipſius ope Vat. codicis. idemque in Flor. legitur.

Dum adipiſcerentur dominationes, multa caritate. Vox, *dominatio*, non videtur hoc ſenſu admittere pluralem numerum. & ſuprà pag. 230. dixit: *nihil abnuentem, dum dominationis apiſceretur*. item pag. 134. *ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus eſt*. quod Lipſius optimo (vt videtur) iudicio, emendauit, *rem romanam adeptus eſt*. Conſiderandum eſt igitur, an fortaſſe fuerit Tacito familiare & propriũ, iungere huic verbo, *adipiſci*, ſecundum caſum, vt verbo, *potiri*, iungitur; & ſic rectè ſe habeat in ſuperioribus locis, *adipiſci dominationis*, &, *adeptus rerum*: An potiùs pro, *dominationis*, credendum ſit, Tacitum ſcripſiſſe, *dominationem*. Quod mihi certè magis probatur: & errorem ortum puto ex eo, quod ſuprà ad pag. 105. notaui, plerunque in veteribus libris literam *m*, ita for-

matam reperiri, vt pro, *s*, accipiatur. ſicuti hîc, *dominationes*.

273 *At in Britannia P. Oſtorium propratorem*. Flor. *propratore*. vide quæ ſuprà notaui ad pag. 92. & 122.

Cinctoſque caſtris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat. In Flor. legitur, *cunctaque caſtris*. In alijs, vt teſtatur Lipſius, *cunctiſque*. hinc mihi leuis quædam diuinatio ſubijt, vt corrigi poſſit; *cunctoſque vltra Antonam*, &c.

Valida gens, nec prœliis cõcuſſa. In Flor. legitur, *contuſi*, vt Lipſius ait haberi etiã in Farn. Codice.

Turmas quoque equitum ad munia accingit. Libri omnes conſtanti conſenſu habent, *peditum*, quod Lipſius ex ingenio emendauit, *equitum*, cùm turmas peditum, nunquam dici inueniatur, quod eſt veriſſimum. Ego tamen omnino reſtituendam Tacito ſuadeo ſuam vocem, *peditum*, quæ optimè ſe habet, ſi diſtinctione adiuuetur, ſcilicet: *turmas quoque, peditum ad munia accingit*. Ait enim: Cùm peditatum exiguum haberet, turmas, nempe equitum, adeo diſpoſuit, vt peditum munia adimplerent. Tranſpoſitio autem hæc Tacito familiariſſima eſt. Sic infra, pag. 299. *militia ad labores vocaretur*.

Et ductus in Cangos exercitus. Flor. *& ductus inde Cangos*.

Iam ventum haud procul mari. Idem Flor. copulam addit: *Iamque ventum*.

Sed

Sed aſtu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordouicas. Flor. habet; *Sed tum aſtu locorum fraude prior.* Putaui olim legendum eſſe: *ſed tum hoſtis, locorum fraude prior.* ſed non placet, cùm de ipſo hoſte ſit ſermo. Ideo potius Florentini lectionem probans, ſic interpretor: Caractacum tunc, cùm eſſet locorum fraude prior, ac vi militum inferior, aſtu tranſtuliſſe bellum in Ordouicas. 274

Pluribus gentibus imperantem, fœdere pacis accipere. Idem Flor. habet, *imperitantem.* 276

Nam ſi vos omnibus imperitare vultis, ſequitur vt omnes ſeruitutem accipiant. Lipſius ait, falsò & ineptè hoc dici, cum conſequens non ſit, vt qui velit, id quod velit, poſſit. ergo emendat: *Num ſi vos omnibus*, &c. nota interrogationis adiecta. Mihi autē vulgata lectio maximè probatur. Nā etiamſi verba Caractaci libertatem, ac non degenerem animū, præſeferrent; tamen aſperſa etiam ſunt plurima in Claudium, Romanoſque, adulatione. Et poſteaquam de ſua potentia locutus ſit, ſequitur, ſe opes ſuas, quamquam inuitum amiſiſſe, quia illorum viribus tandē reſiſtere non potuerit nam cùm ipſi Romani, ceteris potentiores, alios omnes opibus impares debellare velint; conſequens eſt, vt omnibus ſit ſeruitus ſubeunda. atque idcirco ſe quodammodo excuſat, quòd non ſtatim ſe dediderit.

Et ſi qui alij victos Reges populo romano oſtendere. Flor. habet, *vinctos reges.*

277 *Ac ni citò vicis & caſtellis proximis ſubuentum foret.* Idē Flor. habet; *ac ni citò nuncijs & caſtellis.* Muretus legit, *è vicis & caſtellis.* Ego ſuſpicor legendum, *præſidiis & caſtellis.* Sic infrà, pag. 352. *Omiſſis caſtellis præſidiiſque.* & in vita Agricolæ, pag. 730. *& præſidiis caſtelliſque circumdata.*

Ac promptiſſimus quiſque manipulus cecidère. Ego mallem, *manipularis.*

Temerè, prouiſa, ob iram, ob prædam. Lipſius legit, *prouiſu.* fortè meliùs Flor. *temerè, prouiſò.*

279 *Simulque qui Centurionum, Tribunorumque,* &c. prima illa copula, *que*, inepta & ſuperuacua videtur, atque à Flor. ac Veneto abeſt. Lege ergo: *ſimul qui centurionum Tribunorumque.*

280 *Trepidatione vulgi, inualidus quiſque obtritus.* Flor. *obtriti.*

Pulſumque in extremam fori partem vrgebant. Addit Flor. *vi vrguebant.* Atque obiter moneo, verbum, *vrgere*, ſemper ferè in eo codice ſcribi, *vrguere*, licet malè videatur.

Donec militum globo infeſtos perrupit. Idem Flor. *infenſos.*

Longinquas in prouincias cōmeatus portabant. Legendum puto, *portabantur*, vel, *portabatur.* Flor. habet, *portabat.*

282 *Nec aliud præſidij, quàm Caſtellum commeatu egenum.* Idem Flor. *Nec aliud ſubſidij.*

Seque præſidio abituros minitarentur. Vitium

aliquod

aliquod hîc latêre ſuſpicor:nam in Flõr. corruptè legitur: *ſequepræſidium ammis minitarentur.* Alij iudicent.

Prouiſum illìc ſacrificium imperatum dictitans. Lipſius legit *prouiſu ſuo.* At ego exiſtimo rectè ſe habere, *prouiſum*, id eſt, præparatum. quaſi dicat, iam eſſe paratum ſacrificium quod imperauerat. ſic infrà, pag. 284. *Dein atrox hiems, ſeu parum prouiſi commeatus.* 305. *prouiſo ante funebri apparatu.* 501. *prouiſa parataq;, non arma modò, ſed obſequium & parendi amor.* Plinius iunior lib. 1. epiſt. 14. *diu quærendus fuiſſet, niſi paratus, & quaſi prouiſus eſſet.*

Et erant contrà, qui tantum fortunæ commutationem miſerarentur. Flõr. *& erant è contrà.* 283

Quando id magis ex vſu, quàm ſi cum gloria adeptus foret. Lipſius aliter legit. Ego nihil muto. Clarus namque ſenſus, optimaque ſententia mihi videtur. Ex vſu, inquit, Romanis erat, Rhadamiſtum adeptum fuiſſe regnum cum infamiæ nota, nam diuturna illi dominatio futura non erat, ideoque inter barbaros citò turbæ orituræ eſſent. At ſi cum gloria regnum adeptus foret, tunc pacificum imperium diu retenturus eſſet.

Et diuerſa Cæſar præciperet. Licet vnum & idem ſit, tamen in Flor. legitur, *Cæſar iuberet.*

Dein atrox hiems. Idem Flor. *Deinde atrox hiems.* 284

Perpellunt Vologeſen omittere præſentia. Idem habet, *percellunt.* ſicque etiam Venetus codex.

285 *Qui ſtirpem hoſtilem iterum conſeruaret.* Lego ex Flor. *quòd ſtirpem.*

286 *In ſeruitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent, pro libertis haberentur.* Manum hîc abſtinere, ſanum conſilium cenſeo. Tantùm monebo, à Flor. etiam abeſſe illa verba, *& qui nati eſſent.* Ibi enim legitur: *in ſeruitute ſui conſenſiſſet, pro libertis haberentur.*

Et fixum eſt publico Senatuſconſultum. Lacuna eſt in Flor. *& fixum eſt.... publico Senatuſconſultum:* atque in margine additum eſt, *are.* Ego ſuſpicor ſcriptum potiùs fuiſſe, *foro publico,* aut quid ſimile. Suprà, pag. 243. *aſpiciuntur etiam nunc in are publicandis plebiſcitis, per fora ac templa fixo.*

288 *Ad vim remigij & gubernantium artes, impetuſque nauium prœlio ſolitos.* Aliter Flor. *ad vim remigij, gubernantium artes, impetus nauium, & prœlio ſolita.* quod fortaſſe rectius.

289 *Impetrat, vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur.* In Flor. legitur, *perpetrat.*

290 *Et qui vicerant, publicè valebant.* Flor. & Ven. *& qua vicerant.* vt ad ſtudia referatur.

Argiuos, vel cum Latona parente, vetuſtiſſimos Inſula cultores. Floren. habet, *parentem.* quod magis confirmat Merceri optimam correctionem, id eſt, *vel Cœum Latona parentem.*

Sacram & tanti Dei miniſtram inſulam colerent. Flor. *& tantùm.*

Orſi à fœdere, quod nobiſcum icerant. In Flor. legitur, *iecerant.* ſic ſuprà, pag. 240. libri omnes veteres habent, *fœdus repente iaciunt.*

Simul vehendo commeatu opportuna forent. 291
fortaſſe meliùs; *vehendo commeatui.*

Præuiſa locorum vtilitate, peiora legiſſent. Lipſius corrigit, *parum viſa.* Ego tamen vulgatam lectionem non improbo. intelligo enim, Chalcedonios, quamquam vtilitatem locorum pręuidiſſent, nihilominus ſedem illam neglexerũt, ac peiorem delegerunt, fortaſſe vtiliorem rati, ideoque decepti.

Et obliquis ſubter vndas ſaxis exterrita. Quæ ſunt hæc obliqua ſaxa ſubter vndas? Turpe mendum reſtituit, iuuante Strabone, Franciſcus Medices, qui in ſuo Codice adnotauit, legendum eſſe: *& albis* (vel, *albidis*) *ſubter vndas ſaxis exterrita.* Strabonis verba, latinè conuerſa ex lib. 7. talia ſunt. *Earum generatio* (Pelamides ab eo appellantur) *in Mæoticis paludibus fit: inde verò paulatim erumpunt, grege facto, per os ipſum, ac propter litus Aſiaticum vſque Trapezuntem, ac Pharnaciam excurrunt. Hinc primùm earum venatio exiſtit, non copioſa admodum, nondum enim conueniens eſt multitudo. Sed vt Sinope propiùs acceſſerint, ſpecioſior nimirum earum eſt piſcatio, ſimul & ſalſamentaria. Poſtquam verò Cyaneas tranſierint, & ex ripa Chalcedonia albi-*

eans occurrit petra quadam, tantus beſtiis ipſis terror incutitur, vt è veſtigio in vlteriorem conuertantur ripam. Plinius quoque de iiſdem piſcibus loquens, lib. 9. cap. 15. ait: *Eſt in Euripo Thracij Boſpori, in ipſis Europam Aſiamque ſeparantis freti anguſtiis, ſaxum miri candoris, à vado ad ſumma perlucens, iuxta Chalcedonem in latere Aſia. huius aſpectu repentò territi, ſemper aduerſum Bizantij promontorium, ex ea cauſſa appellatum auricornu, præcipiti petunt agmine. itaque omnis captura Bizantij eſt, magna Chalcedonis penuria.*

Faſtigio Capitolij examen apum inſedit. Flor. *apium.*

Et ſuis fœtus editus, cui accipitrum vngues erant. in Floren. & Ven. legitur: *& ſuis fœtum editum, cui Accipitrum vngues ineſſent.*

292 *Impudica, infamis, vinolenta.* Iidem Codices habent, *violenta.*

Ac nouercæ inſidiiis domum omnem conuelli. Flor. *ad nouercæ*, fortè, *at nouercæ.*

293 *Secordiáne Claudij, an violentia.* Aliter Flor. *Secordiáne, an Claudij vi, an vinolentia.* Quæ lectio fortaſſe non eſt ſpernenda. Vt tres ſint cauſſæ, cur veneni vis ſtatim intellecta non fuerit. Secordia ſcilicet Claudij, quæ adeo ſenſum illi hebetaſſet, vt venenum non ſentiret. an illius vis, id eſt, naturæ corporiſq; robur. an quia largiter potaſſet, ideoque vinum veneno reſiſteret. Nihil tamen affirmo, imò potiùs ſuſpectus apud me remanet hic locus. Sed violentiæ

vox,

vox, quam vulgati omnes habent, iure reijcienda eſt, cum ſit hîc ſine vllo ſenſu. At de vinolentiâ Claudij notum eſt, traditque præſertim Suetonius, cap. 33.

Tempusque proſperum ex monitis Chaldeorum attentaret. In Flor. atque etiam in Veneto legitur, *aduentaret:* quod mutauit Rhenanus ex Budenſi, vt ait, Codice: atque, vt mihi videtur, ſine cauſſa; cum verbum illud, *aduentaret*, optimum ſenſum habeat. Expectabat enim Agrippina, donec Chaldei monerent opportunum tempus ex poſitu ſiderũ aduenisſe, ad Claudij mortem publicandam, ceteraque exequenda, vt omnia Neroni proſperè ſuccederent. 294

Tertio ante Idus Octobris. In ijſdem Flor. ac Ven. legitur; *tertium ante Idus.*

Vbi monente Præfecto, feſtis vocibus exceptus. Iidem libri habent; *Ibi monente Præfecto.*

ANNALIVM LIB. XIII.

A*Biis Proconſuli venenum inter epulas datum eſt.* Lege ex Flor. *ab his.* 296

Et pari in ſocietate potentiæ concordes. Leue hîc mendum ineſſe puto, quod fortaſſe tolletur ex Flor. codice. Is enim habet: *& parum in ſocietate potentia & concordes.* Vnde legendum ſuſpicor: *& pari, in ſocietate, potentia, & concordes.* vt ſit ſenſus: Burrhum ac Senecam, in ea miniſterij ſocietate, fuiſſe pari potentia, atque etiam concordes.

297 *Quibus otium eſt, vetera & præſentia contendere.* Flor. ac Ven. *quibus otioſum eſt.*

298 *Vt aſtaret abditis à tergo foribus, velo diſcreta, quod viſum arceret, aditus non adimeret.* Lipſius legit, *auditus non adimeret.* quod ego non ſperno. tamen vocem, *aditus*, puto defendi poſſe, hoc ſenſu: Volebat Agrippina in Senatu adeſſe, nec conſpici, ideoque velo diſcreta. ſed aditum non adimebat, cùm ibi eſſent abditæ fores, quibus ſecretiores amici ipſam adire, eiuſque voluntatem ſuper negocijs exquirere poſſent. Vel, vt ipſa aliquid filio, ſi opus eſſet, per nuncios ſignificaret: vel potiùs, vt ipſamet Senatum ingrederetur, quandocunque libitum ei fuiſſet. Statim namque ſequitur, eam coràm legatis Armeniorum, præſidere cum Imperatore voluiſſe. Itaque viſus, refertur ad velum; aditus, ad fores. Tamen meliùs legas, *aditum*; vel, ſi magis probes, *auditum*, cùm præceſſerit, *viſum*. De ſimili errore dixi ſuprà, in voce, *dominationes*, ad pag. 272.

Eſcendere ſuggeſtum Imperatoris. Verbum hoc, *exſcendere*, à Lipſio ex Farneſ. Codice reſtitutum, eſt etiam in Flor. ſicut paulo poſt, verbum, *anquirebant.*

299 *Contrà alij meliùs eueniſſe dixerunt.* Rectiùs, credo, legitur in Floren. *eueniſſe differunt.* Sic ſuprà, pag. 283. *plures tuta differunt.* 341. *& morte eius accenſum populi fauorem differunt.*

Apud

Apud Egas ciuitatem Ciliciæ obuium Quadratum habuit. Flor. *Egeas*. vnde Lipſius legit, *Ægeas*. 300

Etiam ſpecie inanium validus. Lipſius ait, ita ſe reſtituiſſe. credo autem ex libris. nam in Veneto non aliter legitur. Flor. autem habet, *ſpecie inanimum*.

Et Vologeſes, quò bellum ex æquo modo pararet. Flor. habet, *ex q° modo*. Reſtitue ergo, *ex commodo*. quod etiã Mercero, ac Mureto probatur.

Accepitque eos Centurio Hoſtorius. Flor. *Centurio Hiſteius*.

Fortè priore de cauſſa adito Rege, Muretus legit: *fortè prior ea de cauſſa adito Rege*. quod probo.

Et recipere obſides iubet. Flor. *reciperare*.

Ne diutius externis miraculo eſſet. Venetus Codex addit: *quod ne diutius*, &c.

Et inclinatione quadam etiam hoſtium. Idem 301
Venetus, alijque veteres habent; *& inclinationem quandam*.

Aut Iulius Denſus Equeſter. Corrigit Muretus, *Eques rom*.

Ne ſeuerioribus quidem Principis amicis aduerſantibus. Flor. habet, *ne ſenioribus quidem*, tamen altera lectio mihi magis probatur. 302

Exueret obſequium in matrem, Senecæque permitteret. Hic locus corruptè vbique legitur. In Flor. eſt, *ſeque nece*, atque in margine, *ſeneceque*. Lipſius hærere ſe ait. Ego autem legendum puto, *Senecáque permitteret*. id eſt, neque Seneca

Neroni in hoc aduerſaretur, vel Agrippinæ odio; vel metu, ne in ſtupra feminarum illuſtrium prorumperet Nero, ſi à muliercula Acte diuelleretur, matrique obtemperaret. Lucem huic ſenſui affert, quod Tacitus dixit infrà, in principio libri XIIII. *Hæc atque talia lacrymis & arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi matris potentiam.*

Orabántque caueri inſidias mulieris. Flor. habet, *cauere.* fortè legendum, *caueret.*

304 *Inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium.* Neſcio quid ſibi Florentinus velit, qui habet: *ludicra R̄ regnum luſu ſortientium.*

Parari venenum iubet, miniſtro Pollione Iulio. Copulam addit Flor. *pararique venenum iubet.*

305 *Frigida in aqua affunditur venenum.* Editi veteres omnes habent, *infunditur.* Sic ſuprà, pag. 293. *infuſum delectabili cibo boletorum venenum.* At in Flor. legitur, *affunditur.*

Prouiſo antè funebri apparatu. Flor. *funebri paratu.*

In campo tamen Martio ſepultus eſt. Idem, *Martis.* Sic infrà, pag. 513 *apud campum Martis Cæſar extruxerat.*

Et inſociabile regnum exiſtimantes. Idem Flor. ac Venetus, habent, *extimantes.*

Illuſiſſe pueritiæ Britannici Neronem. In ijſdem libris

libris legitur, *illuſum eſſe pueritiæ.* quod corruptum cenſeo.

Inſignis genere, forma laſciua. Iidem libri habent; *forma, laſciuia.* 307

Non vetera, & ſæpiùs iam audita deferens. Nulla adhuc delatio, quam poſtea factam à Paride hiſtrione tradit. Ideo meliùs ex Flor. legas, *differens.* ſic ſuprà pag. 4. *pars multò maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant.* 109. *differrique etiam per externos, tamquam veneno interceptus eſſet.* 163. *differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes notum, in prœliis conſectentur.*

Coniugioque eius etiam imperio remp. rurſus inuadere. turpe vitium hîc latet. nam quid ſignificat, inuadere remp. imperio? neque ego de mendo ſuſpicatus fuiſſem, niſi illud Flor. codex ſaltem oſtendiſſet. In eo enim legitur: *etiam perio.* Si Oedipus eſſem, diuinarem, Tacitum ſcripſiſſe: *coniugioque eius etiam pacto, remp. rurſus inuadere.* ſic infrà, pag. 323. *ſuum matrimonium promittens, ac nuptias eius pactus.*

Solitus alioquin id temporis luſus principis intendere. Rhenanus repoſuit vocem, *luſus*, cùm in Floren. & aliis veteribus libris legeretur, *luxus.* quòd rectum videtur, nec à Lipſio improbatur.

Refutare tenebras, & vigilatam conuiuio noctem. hærentem ſententiam Lipſius explicari poſſe putat, ſi legatur: *reputaret tenebras.* Ego in 308

vulgata lectione nihil difficultatis inuenio. nam cùm dixiſſet Burrhus, non adeſſe accuſatores, ac tantùm afferri vocem vnius ex inimica domo, ſequitur, vocem illam refutare tenebras, hoc eſt, refutari debere à tenebris, atque à nocte in conuiuio vigilata.

310 *Et plebs daret experimentum*, &c. In Flor. & in alijs veteribus, ferè ſemper ſcribitur, *plebes*, priſco more.

Et quidam ſimili licentia, ſub nomine Neronis, &c. Auctior hic Flor. *& quidam permiſſa ſemel licentia.*

Multi propriis cum globis eadem exercebãt. Lipſius legit, *inulti*: quod à Flor. etiã confirmatur.

Qui rixarum initia modica & quaſi priuata ſinerent. Muretus ex coniectura legebat, *ſererent*, quod mihi falſum videtur. Probabile enim eſt, milites & gladiatores illos, Principem ſequi ſolitos fuiſſe, ſpatio aliquo interiecto, ac diſſimulatos: illum verò tamquam ſolum prægredientem, ac nonnunquam rixas cum tranſeuntibus quærentem, iuſſiſſe, vt dum modicè ac ſine periculo res ageretur, ipſi priuatas illas rixas ſinerent, neque accurrerent; propterea quòd is, ſine vrgenti occaſione, agnoſci nolebat. Sed ſi à læſis validiùs reſiſteretur, tunc ſubſidio adeſſent, armaque inferrent.

Si a læſis validiùs ageretur, arma inferebant. Rectiùs Venetus, *arma inferrent*; cum ſuprà dixerit, *ſinerent*.

Perſcri-

Perſcripſere tamen conſenſum Senatus. Ille auctor conſtitutionis fieret. Rectè hæc ſe habere videntur. Perſcripſere enim Conſules Principi ſententiã Senatus, vt ſcilicet ille fieret conſtitutionis auctor, ſi vellet. dictumque eſt eo modo, quo ſuprà, pag 278. *ſpectaret populus hunc decore imperatorio.* & infrà, 418. *de Lepida Cæſar ſtatueret.* Floren. tamen habet: *Ille an auctor.* ideo ſuſpicor mendoſa eſſe hæc, vt ſequentia. Cùm autem Rhenanus affirmet, in Budenſi codice legi, *in conſenſum*; ego inde libenter reſtituerem: *perſcripſere tamen ei conſenſum Senatus.* 311

Vt an æquo cum patronis iure agerent. Nihil iuuat hîc Flor. niſi quod in eo legitur: *vt ne an æquo,* &c. *ac verberibus,* &c. *impulere vel pœnã,* &c. Muretus autem ex ingenio totum locum ſic legit: *vt nec æquo cum patronis iure agerent, ſed iam coram inſultarent, ac verberibus manus vltrò intenderent impunè, vel pœna ſua gaudentes.* Sed & ipſe, credo, operam ludit, ſine ope librorum.

Ac criminum manifeſtos meritò ad ſeruitutem retrahi. Flor. habet, *At criminum.* quod rectum puto. atque intelligo illud, *retrahi,* id eſt, retrahendos eſſe, vel retrahi debere.

In commune nihil derogent. Muretus legit, *derogarent:* quod etſi rectius videatur, cùm præcedat, *expenderent*, tamen Tacitus plerunque tempora verborum ſimili modo variare ſolet. 312

Comprobauere Patres, incuſata Antiſtij licentia. Malè Muretus, qui corrigit; *non probauere Patres.* imo comprobauere, ſcilicet prætoris factum.

Dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto. Flor. *deinde ambitu.*

313 *Veneno damnationem anteuertit.* Idem, *anteijt.*

Aminius Rebius ex primoribus peritia legum. Idem Flor. c. *Amin:us Rebius.*

Plebeique congiarium quadrageni nummi viritim dati. Corrigit Lipſius, *quadringeni.* quod ferè conuenit cum ſcriptura Flor. codicis, qui habet, *quadr:geni.* Idemque etiam Venetus.

314 *Dum qua libidine deliquerant, ambitu propugnant.* Ven. habet *propugnabant.*

316 *Ne pugnam priores adirent prædicit.* Lipſius ex Vat. legit, *auderent.* hoc idem annuit noſter, qui habet, *audirent.*

317 *Plura fama quàm pugna extrahere.* Lipſius ex eodem Vat. codice reſtituit, *exterrere.* quod verbum eſt etiam in Flor. & in Veneto. tamen verbum, *extrahere*, quod Rhenanus teſtatur eſſe in Budenſi libro, valdè mihi probabatur, præſertim reſpectu illius vocis, *plura.* Vt ſit ſenſus: Vologeſes plura (ſcilicet oppida, caſtella, vicos) extrahebat, ſiue eripiebat è manibus incolarũ, atque ſibi acquirebat, fama, quàm pugna. Aliàs non dixiſſet, plura, ſed plus exterrere.

Interfecto filio Rhadamiſto, quaſi proditore ſui. A Flor.

A Flor. abeſt illud, *ſui*, vel, vt in alijs legitur, *ſuo*, ſed tantum ait: *quaſi proditore.*

Tunc quoque primum illecti Iſichi. Flor. *Tuncque primum illecti Inſichi.*

Gens haud alias ſocia romanis. Libri omnes habent, *gens ante alias.* quod Lipſius mutauit, *haud alias.* Namque (ait ille) ſi tunc primùm illecti, ergo non ſocij erant antè alios. Nec ego iudicium eius improbo. Tamen priſca lectio fortaſſe defendi poterit, ſi intelligamus, Tacitum loqui de ſuo ſæculo, dum ait, Iſichos fuiſſe ſocios romanis, ante alias gentes: ac tunc, ſcilicet hiſtoriæ illius tempore, fuiſſe ſocietatis & amicitiæ principium. Quod confirmare videntur verba illa: *tunc primùm illecti:* quæ ſignificant, eos ſequentibus etiam temporibus ſæpè adfuiſſe romanis, atque in ſocietate & amicitia conſtanter perſeuerauiſſe, ante alios illius regionis populos.

Quia cauſa quàm vi agere mallet. Flor. *mallent.* quod probo: vt ſermo ſit de ambobus, ſcilicet Vologeſe, ac Tiridate.

Sæpiùs clade romana expertam. Addit idem Flor. *ſæpiùs iam clade,* &c.

Et hinc maiorem afferri, vt dolus patraretur. 318
Idem, *pararetur.*

Iſteo Capitoni caſtrorum præfecto. In Flor. legi- 319
tur, *Inſteio.* ſicut Lipſius ait, appellari eum in lapidibus.

Statuit poſtremo oſtendere aciem, & dato die 320

prœlium incipere. Legendum puto, *& claro die*, ſic paulo infrà dixit, *propinquis iam tenebris abſceſſit*.

In cornibus pedes ſagittarius, & cetera manus equitum ibat. Muretus legit, *pedes ſagittarijque*.

Productior cornu in ſiniſtro per ima collium. In Flor. legitur, *productiore corn' in ſiniſtro*. Alij iudicent.

321 *Nam cuncta extra tecta hactenus ſole illuſtria fuere*. Cùm Flor. habeat, *tectis*, ego legendum & diſtinguendum puto: *nam cuncta extra, tectis hactenus, ſole illuſtria fuere*.

Inuidere iis, qui viuidam & incorruptam eloquentiam, &c. Flor. *liuere iis*.

322 *Quàm veterem & olim partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmitteret*. Corruptum puto illud, *ac olim*, cùm neque à libris ſit, neque neceſſarium: dixit enim, *veterem*, quod vnum & idem eſt. In Flor. codice etiam corruptè legitur: *veterem ac dō partam*: duoque alij Manuſcripti habent, *ac deo partam*. Putaui fortè legendum eſſe, *ac diu partam*, id eſt, per diuturnum temporis ſpatium, multorumque annorum ſeriem. Vulgatam quidem lectionem ferrem, ſi libri annuerent. nam & in libello de cauſſis corruptæ eloquentiæ, pag. 762. legitur: *quoſdam veteres, & olim natos*.

Mox quia inquiſitionem annuam impetrauerat. dubito, an emendatior ſit Flor. qui habet, *impetrauerant*; vt ad accuſatores referatur: qui

cùm

cùm idoneis teſtibus inſtructi non eſſent ad accuſationem probandam, petierint & impetrauerint annuam inquiſitionem, vt in Aſiam mittere poſſent. Quod cùm nimis longũ videretur ijs quibus Suilium peruertere ſtatim cupiebant, ſuaſerunt accuſatoribus, vt potiùs ſuburbana crimina inciperent, quorum obuij teſtes erant, atque Aſiatica differrent. Nam ſi verbum, *impetrauerat*, ad Suilium referendum eſſet, dixiſſet potiùs, defenſionem annuam, quàm inquiſitionem; cùm inquiſitio ad accuſatores & ad Iudices pertineat, defenſio autem ad reos. Confirmari videtur etiam hic ſenſus infrà, pag. 328. vbi Tacitus ait: *Siluanum magna vis accuſatorum circumſteterat, poſcebatque tempus euocandorum teſtium, reus illicò defendi poſtulabat.*

Cur enim neminem alium electum. Floren. *delectum.*

Maiorum reip. malorum initium fecit. Idem, 324 *magnorum reip. malorum.*

Sibi conceſſam dictitans nobilitatem. &c. Lipſius mendum hîc notat, quod ego non ſentio. ſubintelligitur enim conceſſam à dijs, vel à propitia ſorte.

Maximè ſuſpecta & nullius auſi capax natura 326 *eius.* Reſtituenda copula ex Flor. *maximeque ſuſpecta.*

Quas diuerſas Senatorius ordo, plebſque ad Senatum miſerat. Affirmat Rhenanus, à codice

Budenſi abeſſe vocabulum, *Senatorius*, quod ego à Librario omiſſum exiſtimabam. Sed cum ab optimo etiam Flor. abſit; ſuſpicatus ſum, an ex Taciti mente delendum ſit. Alij iudicent.

Præbuiſſetque materiam obtrectatoribus. In Florentino ſcribitur, *materiem.*

327 *Dubitauit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet.* Non ſperno. Sed Taciti magis proprium videretur, *vectigalia remitti.* ſic ſuprà, pag. 313. *vectigal quoque quintæ & vicesimæ vanaliũ mancipiorum remiſſum.* infrà, 459. *Flagitatum, vt vacationes præſtari centurionibus ſolitæ remitterentur.* 583. vbi legitur, *his tributa dimittere*; Lipſius, *remittere*, reſtituendum putat.

328 *In Rhenum, exin Oceanum decurrerent.* legendum puto, *in Rhenum, & in Oceanum.*

Quo plerunque prohibentur conatus honeſti. & hîc corrigendum cenſeo; *quomodo plerunque.*

329 *Qui nationem eam regebant, in qua tum Germani regnabant.* Verè vitioſus locus, quem tamen exiſtimo à vetere noſtro Florentino optimè ſanari. Is enim habet; *in quantum Germani regnantur.* hoc eſt, regebant eam nationem, eo more, quo Germani regnari, vel regi, ſoliti erant, ſcilicet iuxta libertatem. Sic Tacitus de moribus Germ. pag. 710. *Trans Lygios Gothones regnantur, paulo iam addictius, quam cetera Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.*

Digrediunturque, & inter Patres conſidunt.

Flor.

Flor.habet,*degrediunturque.* Verè: nam ex altioribus gradibus ad inferiores deſcendendum erat, vt inter Patres conſiderent.

Quaſi impetus antiqui & bona æmulatio. Libri veteres omnes habent, *& bona æmulatione.* quod ego ſanè non improbo, licet aliter Rhenanus ſenſerit. Ait enim Tacitus, libertatem illam Germanorum comiter fuiſſe à viſentibus exceptam, quaſi præſetuliſſet aliquid impetus antiqui, & bona æmulatione factum.

Stipendia meruiſſe, quinquaginta annorum obſequio. Addit Flor. *& quinquaginta annorum.* 330

Quotam partem campi iacere, in quam pecora & armenta militum aliquando tranſmittentur? Lipſius legit, *quo tantam*; aut; *quo eam.* At mihi vulgata lectio probatur, ſed hac diſtinctione: *Quotam partem campi iacere? in quam pecora & armenta militum aliquãdo tranſmittentur.* Quaſi dicat: exigua pars campi eſt, quam petimus, ac modò iacet; & quæ nulli vſui vobis erit, niſi quòd in eam armenta & pecora militum quandoque tranſmittetis.

Seruarent ſanè receptos gregibus inter hominum famam. corruptus videtur hic locus, nec iuuant libri veteres. tamen vtcumque poteſt eſſe integer, hoc ſenſu. Seruarent Romani campos receptos, id eſt, ſepoſitos pro gregibus: at ſeruarent etiam hominum famam, ne ſcilicet palàm fieret, meliori conditione eſſe beſtias, quàm homines, cùm his deſit terra in qua viuant, illis ve-

rò ſuperſit. Sed pro, *inter*, legerem, *intra*; vt ſit, intra famam, hoc eſt, ſeruata fama.

Sicut cœlum diis, ita terras generi mortalium datas. Flor. *ſicuti.* Plurima nimis leuia perſequor. cuicumque tamen ea negligere, in integro eſt, tamquam ſi monita non fuiſſent.

Quæque ſint vacua, eas publicas eſſe. Abeſt à Flor. verbum, *ſint.* ac rectè abeſſe poteſt.

Deeſſe nobis terra in qua viuamus, in qua moriamur non poteſt. Ita ex ingenio emendauit hunc locum Rhenanus, cùm ſit in libris omnibus deprauatus. Flor. habet: *Deeſſe nobis terram viuam, in qua moriamur non poteſt.* Venetus autem *terra viua,* Ego ſic legerem: *Deeſſe nobis terra viuis, in qua moriamur non poteſt.* quaſi hoc dicat: Armati terram occupabimus, ibique pugnando moriemur.

331 *Eluuie maris areſcente vnda, ſed ſuper ardentem arborum ſtruem fuſa.* Valde mihi arridet Muretus, qui modica tranſpoſitione legit: *eluuie maris areſcente, ſed vnda ſuper ardentem arborum ſtruem fuſa.* proculdubio veriùs.

Contrariis inter ſe elementis. Flor. *ex contrariis.*

Sed bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitio fuit. Aliter Flor. *Cattis exitioſius fuit.*

Sed ciuitas Iuhonum ſocia nobis. Flor. *Sed ciuitas Vbonum.*

Prodigij loco habitum eſt, donec in nouos fœtus reuiuiſceret. In eodem Floren. legitur, *reuiueſceret.*

ANNA-

ANNALIVM LIB. XIIII.

ALiquando per facetias incuſare principem, & pupillum vocare. Flor. *incuſaret principem, & pupillum vocaret.* 333

Iamque laſciua oſcula, prænuntias flagitij blanditias. Reſtitue copulam ex Floren. *& prænuntias.*

Additurum principem defunctæ templum, & aras, & cetera oſtentandæ pietatis. Floren. & Ven. *pietati.* 334

Acciperetque Agrippinam, facili feminarum credulitate. ſuſpicor legendum; *deciperetque Agrippinam.*

Ibi blandimentum ſubleuauit metum. Muretus legit, *blandimentis.* 335

Siue explenda ſimulatione. fortè meliùs: *ſiue explendæ ſimulationi.*

Preſſusque Crepereius, & ſtatim exanimatus. In Flor. ac Ven. additur verbum; *& ſtatim exanimatus eſt.* ſed quia Taciti phraſim non olet, ego potiùs legerem; *exanimatus. At Agrippina,* &c.

Eminentibus tecti parietibus fortè validioribus, quamuis oneri cederent. Cùm Flor. addat, *ac fortè validioribus*; ego legendum arbitror: *ac fortè validioribus, quam vt oneri cederent.*

Et quòd plerique ignari conſcios impediebant. Reſtitue ex Floren. ac Ven. *ignari, etiam conſcios.*

Viſum dehinc remigibus vnum in latus inclinare. Mihi magis probatur priſca lectio, præſertim Ven. codicis, id eſt; *Iuſſum dehinc remigibus.* quod clarè confirmatur ex ſequentibus verbis, *in rem ſubitam.* Neque credendum eſt, remiges ipſos, coniurationis ignaros, ſubmergere nauem voluiſſe, in qua Principis mater vehebatur.

336 *Verùm Aceronia imprudens.* Flor. habet, *imprudentia.*

Contis, & remis, & quæ ſors obtulerat. Idem, *& quæ ſors,* &c.

Lucrinum in lacum vectàm, villæ ſuæ inferunt. Meliùs Flor. *Lucrinum in lacum vecta, villæ ſuæ infertur.*

Niſi quid Burrhus & Seneca expergiſcerentur. Libri veteres corruptè habent, *expgens.* Alij legunt, *expedirent.* fortè, *reperirent.*

337 *Et eò deſcenſum credebant.* Floren. *an eo deſcenſum.*

Ad illam vocem Nero, illo ſibi die dari Imperium, &c. Idem Flor. *Ad eam vocem.*

Clamore diuerſa rogantium. Idem, *rogitantium.*

338 *Aliam ferè litore faciem nunc, ſolitudinem,* &c. In libris omnibus corruptus eſt hic locus. ac Flor. codicis lectio eſt: *aliam fore lateret.* Quorum verborum correctionem vtcumque tentabimus. Suprà oſtenſum eſt, vulgato Agrippinæ periculo, ingentem multitudinem adfluxiſſe

cum

cum luminibus, atque omne litus completum fuiſſe. Quum deinde incolumem eam eſſe pernotuit, omnes, vt eidem gratularentur expectaſſe, donec aſpectu armati ac minitantis agminis diſiecti fuerunt. Agrippina autem, quæ, domum ingreſſa, vulgi huius lætas voces audierat, ac luminibus collucentem oram viderat, anxia deinde erat, quòd circùm villã & litus repentinam ſolitudinem ac tenebras aſpiceret. Idque videntur indicare verba illa corrupta. quæ ſic fortaſſe reſtitui poterunt: *aliam foris, litoreque faciem, nunc ſolitudinem*, &c. aliam ſcilicet eſſe, quàm modo fuiſſet.

Neque dum Nero rerum potiebatur, congeſta aut clauſa humo. Videtur legendum, *humus.* quod etiam Flor. indicat, licet ibi literæ, *us*, deletæ ſint, ac ſuprà repoſitum, *o*.

Prahenſantium manu, gratantiumque. Flor. & Ven. habent, *manum.* quod rectius videtur. 339

Ac morti parentis illacrymans. Iidem libri: *ac morte parentis.*

Obuerſabatur maris illius & litorum grauis aſpectus. Reſtitue copulam ex Floren. *obuerſabaturque.*

Et luiſſe eam pœnam ea conſcientia, qua ſcelus parauiſſet. à Floren. & Ven. abeſt vox, *ea*, & rectè,

At poſteaquam fruſtra oblata ſint. Perſpicuum mendum Lipſius notat in verbo, *oblata.* ego tamẽ exiſtimo ſic interpretari poſſe: poſteaquam

Agrippinæ fruſtra hæ ſpes, vel cogitationes oblatæ ſint, atque irritæ ceciderint.

340 *An obſequium Senatus, an ſtudia plebis repeteret anxio.* Floren.& Ven.habent,*reperiret*.quod abſque dubio rectum puto. Nero enim anxius erat,ſi vrbem ingrederetur, an in Senatu obſequium,an in plebe ſtudia erga ſe, reperturus eſſet. Quod clariùs apparet ex ſequentibus verbis ſuorum, qui ei ſuadebant, vt nihil timeret, atque audacter pergeret, cùm de populi fauore, morte Agrippinæ accenſo, non eſſet dubitandum.

341 *Simul progredi expoſcût*. Flor. habet, *pragredi*.

Vetus illi copia erat, curriculo quadrigarum inſiſtere. Ego mallem; *Vetus illi cupido erat*: vt Lipſius dubitat, ac Mureto etiam probatur. Inferius enim oſtenditur, adeò hæc illum concupiſſe,vt iam ſiſti non poſſet: atque ideo Senecæ ac Burrho viſum,ne vtroque peruinceret,alterum concedere. Sic infra,pag. 387. *acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiſcuas ſcenas frequentandi.*

Ne vtroque peruinceret, alterum concedere. Fortè meliùs Floren. *ne vtraque*.hoc eſt illa duo quæ cupiebat.

Mox vltrò vocari populus romanus, laudibus extollere. Addè copulam ex Flor. *laudibuſque extollere.*

Et ſi eò Princeps trahat, lætum. Flor. *& ſi eodem Princeps trahat*.

Ratuſque

Ratuſque dedecus amoliri, ſi plures fœdaſſet. Rectiùs legitur in Flor. *dedecus molliri*: id eſt, minui.

Nec dum inſignis ætatis nati, conſidere ſimul, 342
&c. Muretus in libello variarum lectionum, lib.15.cap.2.hunc locum ſic emendare tentauit: *cõtractis quibus aliqua pangendi facultas, necdum inſignis erat. Ii conſidere ſimul*, &c. Ingreſſus eſt viam, ſed non pergit. Nam cùm ex voce, *ætatis*, reſtituat, *erat. ij*: benè ille quidem. quod autem vocem, *nati*, vt ſuperuacuam reijcit, ego potiùs illam leuiter immutarem, ac reſcriberem, *iuſſi*. modus enim dicendi eſt, Tacito vſitatus. Sic infrà, pag. 388. *Iuſſi id accuſatores obijcere.* 560. *Iuſſæ armari legiones.* Hunc itaque locum ſic legendum arbitror: *contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum inſignis erat. Ii iuſſi conſidere ſimul*, &c. Vitioſa tamen hæc omnia ſuſpicor.

Et allatos, vel ibidem repertos verſus conne- 343
ctere. Nihil ſinceri ex Flor. eruitur. Is enim legit, *& ablatos*. fortè, *oblatos*.

Vtque contraria aſſeuerantium diſcordia eruebantur. legendum puto, *eruerentur*, vt habet Venetus codex. Ait enim, Neronem poſt epulas, etiam doctores ſapientiæ auſcultauiſſe, ea quoque mente, vt diſcordiæ, diſputando, eruerentur inter contraria aſſeuerantes. In Flor. corruptè legitur: *vtque contraria aſſeuerant tum diſcordia rueret*.

Nec deerant qui voce vultuque triſti inter oblecta nenia regia ſpectari cuperent. Floren. *qui ore vultuque*.

Ac plerique liberorum ac parentum mortes deflebant. Corrige ex Flor. *aut parentum*.

344 *Princeps probata Strabonis ſententia*. Vox, *Princeps*, à Flor. abeſt, & illius vice legitur: *Ne probata*. ex quo ego reſtituendum puto: *Nerô probata Strabonis ſententia*.

Et elegantia vitæ, quam clariorem effecit, vt par ingenio, ita morum diuerſus. Lipſius tranſponit: *& quem elegantia vitæ clariorem effecit*. Ego nihil mutarem. Clanculum in Seruilio notat luxum, ac nimis lautam vitam, tanquam romano Senatori parùm decentem. Is enim hîc elegantiæ ſenſus. ſicuti infrà pag. 424. dixit de C. Petronio, qui fuit *erudito luxu*, ac Neroni *elegantiæ arbiter*. Ait itaque, Seruilium illam elegantem vitam clariorem notabilioremque effeciſſe, propter eximias ipſius virtutes, ac nobile ingenium, mores tamen diuerſos.

Si conſideret, theatro totos dies ignauia continuaret. Mallet Muretus, *ne ſi conſideret*. quod mihi non placet. Sunt enim incuſantium verba. qui poſtquam dixiſſent, vetuſtis temporibus populum ſtantem ſpectauiſſe ludos, ſequuntur: nam ſi conſideret, ignauia populi dies totos in theatro continuaret. atq; accipio vocem, *ignauia*, eſſe in primo caſu, non autem in ſexto, vt in poſtrema editione notatur. Flor. nihil aliud diſcrepat,

crepat, niſi quod diſtinguit: *ſi conſideret theatro, dies totos ignauia continuaret.*

An iuſtitiam augurij, & decurias equitum, &c. Verè vitioſus locus. atque ego vereor, ne temeritatis arguar, cùm deſperatis manum adhibere audeam. Attamen quid mihi ſuper hoc loco in mentem venerit, non reticebo. Paulo ſuprà, pag. 342. dixit Tacitus, conſcripſiſſe Neronem romanos equites, cognomento Auguſtanorum. Ad hos deriſionis cauſa puto eum alludere hîc. Ideoque ſic verba hæc emendari poſſe videntur: *An inſtitutos Auguſtanos, ac decurias equitum,* &c. certè non longè abſunt à vitioſæ ſcripturæ veſtigijs.

Si fractos ſonos, & dulcedinem vocum peritè audiſſent? Videtur legendum, *edidiſſent?*

Neque quemquam Romæ honeſto loco ortum. 345
Malus vocum ſonus. Reſcribe ergo ex librorum veterum fide: *nec quemquam.*

Eloquentiæ primas partes nemo tulit. Vox, *partes,* quam Lipſius ait non eſſe in Farn. codice, abeſt etiam à Flor. ideoque tollenda videtur.

Græci amictus, quos per eos dies plerique inceſſerant. Cùm in Flor. Codice ſcriptum ſit: *q° per eos dies;* dubito an ſcribere voluerit, *quomodo per eos dies,* vt aliquando ſolet. & ſic rectè ſe haberet hîc locus.

Et omnium ore Rubellius Platus celebratur. Muretus legit, *celebrabatur.*

Conſuleret ſibi & turbis, ſeque prauè diffaman- 346

tibus ſubtraheret. Vitium aliquod hîc latet, quod fortaſſe ex Flor. ſanabitur. Is enim habet: *conſuleret qeturbis.* vnde ego legendum puto: *conſuleret quieti vrbis.*

347 *At præſidium regium, quod ferox iuuentus clauſerat.* Muretus legit: *quò ferox iuuentus clauſa erat.* fortè meliùs, *quò ferox iuuentus ſe clauſerat.* Niſi potiùs capiendum ſit, *præſidium*, pro ipſis regijs caſtris, quæ clauſa eſſent, id eſt, munita ac firmata à feroci iuuentute. & ſic communis lectio rectè ſe haberet.

Demum irrumpentium armis ceſſere. Addunt Flor. & Ven. *demum & irrumpentium.*

349 *Vibij Criſpi fratris fauore enixus.* Fauoris vox adulterina eſt. Flor. veræ lectioni afferet fortaſſe lucem, qui habet: *friſorib'.* Vnde ego reſtituendum puto; *fratris opibus enixus.* Idque clarè ſcriptum reperi in alio recentiori Manuſcripto, quem deinde contuli.

350 *Præſidium poſthac impoſitum vicis.* lege ex Floren. & Veneto, *victis.*

Iam primùm vxor Boudicea verberibus affecta. Auctior eſt Flor. *vxor eius Boudicea.*

351 *Commotis ad rebellionem Trinobantibus.* Reſtitue ex Flor. *ad rebellationem.* proba enim vox eſt, & à Valerio Maximo non ſemel vſurpata.

Et qui alij nondum ſeruitio aſſuefacti. Probat Lipſius, vt legatur, *ſeruitio facti.* idque habet etiam Flor. codex. ſic Cicero dixit, *factus ad ludum & iocum.* id eſt, natus. Item Liuius lib. 1. *factus ad*

ad imitationem ſtultitiæ.quaſi dicat,compoſitus. Ac Tacitus infrà,pag. 364.*factus natura,& conſuetudine exercitus.*

Viſámque ſpeciem in aſtuario notam eſſe ſubuerſæ coloniæ. Manifeſtum vitium eſt in verbis, *notam eſſe.* Flor. habet: *in æſtuario tã eſæ.* corrigo ergo:*in æſtuario Tameſæ ſubuerſæ coloniæ.* Ex hoc fortaſſe nomen accepit Tameſis fluuius, apud Britannos hodie inclitus.

Copia negotiatorum, & commeatu maximè celebre. Flor. habet, *& commeatuum.*haud dubiè rectiùs. 352

*Omiſſis caſtellis præſidijſque militarium.*Muretus legit,*militum.* ego mallem, *militaribus.*

*Quod vberrimum ſpoliant, & deferentes in tutum.*Flor.habet,*& defendentibus intutum.* Mercerus autem acutè, & fortaſſe verè, legit: *quod vberrimum ſpolianti, & defendentibus intutum, læti præda, & aliorum ſegnes, petebant.* ad prædam ſcilicet prompti,ad cetera ſegnes.

Iis quæ memoraui locis occidiſſe conſtitit. Idem Flor.*cecidiſſe.*

*Tanquam reddituri ſupplicium,ac prærepta interim vltione feſtinabant.*Lipſius mallet,*redditu-ris.* At mihi, *reddituri*,magis probatur: vt idem ſit,reddere ſupplicium, quod reddere pœnas. Ominabantur enim barbari, ſe reddituros eſſe pœnas Romanis,& ideo prærepta vltione ſe interim ſatiabant.

Vt ſpernerent ſonoras barbarorum & inanes 353

minas. Vera lectio, *ſonores*, quam repoſuit Lipſius ex Vat. Codice. nam & in Floren. idem legitur.

354 *Propiùs ſuggreſſus hoſtis certo iactu tela exhauſerat.* Valdè dubito, num legendum ſit, *incerto iactu.* Mens enim Taciti eſt oſtendere, barbarorum tela fruſtra exhauſta, atque omnia ferè in irritum iacta. Idq; indubiè iudicari poteſt paulo infrà, cùm dicat, circiter octoginta millia Britannorum in ea acie cecidiſſe, Romanorum verò fermè quadringentos.

Velut cuneis erupit. Lipſius ait, in Vat. codice legi. *velut cuneo.* quod Flor. etiam ac Venetus habent.

355 *Tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio,* &c. Muretus legit: *quamquam durante bello.* quod ego minimè auſculto. Nam bellum verè deſierat poſt Suetonij victoriam, atque hoſtes iam cohibiti fuerant. Nero tamen, cùm Suetonius paucas naues poſtea amiſiſſet, hinc occaſionem ſumpſit, Petronium ei ſucceſſorem mittendi, tamquam ad bellum perficiendum. fortaſſe ea etiam mente, vt ipſe Petronius prætextu belli honorificentiùs proficiſceretur, quàm ad pacem prouinciæ conſeruandam.

356 *Igitur Fabianus tabulas iis quos memoraui,* &c. In Flor. etiam videtur ſcriptum fuiſſe, *tabulaſiis,* vt de Vat. codice teſtatur Lipſius. ſed à recentiori manu eraſa fuit litera, *s,* & repoſitum, *tabulariis.*

Percu-

Perculit is dies Pompeianum quoque Ælianum. & Flor. & veteres omnes habent, *Pompeium.*

Vt perinde pœna teneretur, ac ſi publico iudicio calumniæ condemnatus. A Flor. abeſt, *vt*; & rectè. Sunt enim obliqua verba ipſius Senatuſconſulti.

Siue amore exoleti infenſus. Suſpicor legendum eſſe, *incenſus.* Nam verba quæ ſequuntur; *& dominum æmulum non tolerans*, eandem ſignificationem habent, quàm ea quæ dixerat, ſeruum fuiſſe domino infenſum propter æmulationem.

Pluribus nihil mutandum cenſentibus. Hîc Florentinum codicem non audio, in quo legitur, *nihil mutandum.* falsò: cùm dicat, Caſſium inter illos fuiſſe, qui nihil mutandum cenſebāt, id eſt, legis executionem ſuadebant. 357

Ex quibus C. Caſſius ſententiæ loco, &c. Flor. *ex quîs C. Caſſius.*

Simul quicquid hoc in nobis autoritatis eſt. Non de toto Senatu loquitur. ſed intellige, *in nobis*, id eſt, in me.

Sanè conſilium occuluit, telum inter ignaros parauit. Flor. habet, *conſilium occultauit.*

Nam & ex fuſo exercitu, cùm decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur. Ambigo, an meliùs interrogatiuè legatur in Ven. codice: *Num & ex fuſo exercitu, cùm decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui non ſortiuntur.* 358

Conglobata multitudine, ſaxa ac faces minitante. Flor. ac Venetus habent, *minante*.

Ne mos antiquus, quem miſericordia non minuerat, per ſæuitiam incenderetur. Rhenano, ac Mercero valdè aſſentior, qui legendum putant, *intenderetur*, quod valet, augeretur. verbum Tacito familiariſſimum.

Statilium Taurum proconſulem ipſius. Floren. habet, *proconſule*: vt ſæpè aliàs.

359 *Quæ haud perinde exitium Antiſtio, quam Imperatori gloriam quæſiuit*. Quàm leui mutatione Mercerus hunc locum optimè ſanauit! Legit enim (vt ſciant quibus ipſius notæ non ſunt ad manum) *qua haud perinde*, &c. ſenſus eſt: Capitonem non ea mente Antiſtium accuſauiſſe, vt illum peruerteret; ſed vt à ſenatu condemnaretur, quò Principi occaſio gloriæ ac beneficii patefieret, illum morti eximendo. Ea igitur maieſtatis lege Capito quæſiuit, id eſt, quærere volebat, gloriam Principi; vt condemnatus, ſcilicet poſtquam condemnatus fuiſſet Antiſtius à Senatu, Princeps iure tribunitiæ poteſtatis intercedendo, illum morti eximeret.

360 *Quin inſula publicatis bonis, quò longius ſontem vitam traxiſſet*, &c. Flor. habet, *qui in inſula*. Ven. *quin in inſulam*. fortè legendum: *quin in inſula*.

Eò priuatim miſerior, & publicæ clementiæ maximum exemplum futurum. Muretus legit, *miſeriorem*.

Liber-

Libertas Thraſeæ ſilentium aliorum rupit. Ita repoſuit Rhenanus, cùm in veteribus libris omnibus, atque etiam in Flor. legatur, *ſeruitium aliorum rupit.* Quam vocem ego certè non ſpernerem, cùm oſtendat, Senatores omnes adeò ſeruos fuiſſe, vt ferè loqui non auderent.

Pedibus in ſententiam eius iere, paucis exemtis. Flor. habet, *exeptis.* fortè, *exceptis.*

Data etiam abſoluendi licentia. Flor. Ven. atque etiam Budenſis, vt teſtatur Rhenanus, habent; *datam & abſoluendi licentiam.* quod magis mihi probatur, atq; efficacius videtur. Quaſi dicat, ſe olim dediſſe illis licentiam in ſimilibus caſibus, etiam abſoluendi; vt ſit cum aliqua indignatione dictum. Vel intelligat de eo negotio tantùm: *datam*; ſcilicet dare ſe illis etiam abſoluendi licentiam.

Qui multa & probroſa in patres & ſacerdotes compoſuiſſet. lege ex Flor. *quòd multa.*

Illitum palatum noxio medicamine aſſeuerabant. Voce auctiores ſunt Flor. & Ven. *illitum palatum eius noxio medicamine.* 361

Cùm ad viſendum Princeps veniſſet, aſpectum eius auerſatum. & hîc addunt: *Cùm ad viſendum eum Princeps veniſſet.*

At tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam dediſti. In Flor. legitur, *innumeram pecuniam circumdediſti.* 362

Tales hortos inſtruit, & per hæc ſuburbana incedit. Idem Flor. *Tales hortos extruit.*

363 *Attamen neutrum à ſe datis præmiis exuit.* Idem; *ac tamen.*

Inornatumque robur ſubſidio impenſiùs regis. Vide quot vulnera veteres correctores intulerint. Erat quidem in Flor. codice, *ornatumque robur*: ſed à moderno quodam interpolatore, qui locum non intellexerat, additum fuit, *ī*, vt fieret, *inornatumque.* neque fefellit, quin recentem manum agnoſcerem. Reſtituo ergo, *ornatumque*; ſcilicet à te. Quaſi dicat: poſtquam robur ætatis meæ præceptis tuis ornaſti, nunc tuo, ſubſidio impenſius regis.

364 *Seneca, qui finis omnium cum dominante, grates agit.* Cùm Floren. Venetus, alijque veteres conſtanter addant vocem, *ſermonum*, id eſt; *Seneca, qui finis omnium cum dominante ſermonum, grates agit*: ego illam minimè ſpernendam cenſeo, ac ſublatam fuiſſe miror. Optima namque ſententia eſt; omnium ſermonum qui cum Principe habentur, finem eſſe, gratias agere.

Cui caueri vtcumque ab vrbanis inſidiis præſentia. Flor. habet, *præſentiora.* vnde ſuſpicor legendum eſſe, *præſenti ore.*

365 *Relatum caput eius illuſit Nero, tamquam præmatura canitie deforme.* Idem Flor. habet; *Prælatum caput eius.* fortè, *Perlatum.* ſic infrà, pag. 524. *Perlatum, & paludamento opertum.* Tamen paulo infrà, pag. ſeq. ait: *Caput interfecti relatum.*

Hæc in ore famæ, credentium otio agebantur.

Flor,

Flor. *Hæc more famæ, credentium otio augebantur.* quod ſi reſtituas, *augebantur*, reddetur locus iuxta Modij correctionem,à Lipſio etiam probatam.Sic hiſt. lib.4.pag.659. *veraque & falſa, more famæ,in maius innotuere.*

Nuptias Poppææ ob eiuſmodi terrores dilatas, 366
maturare parat. Muretus legit, *paras.* verè,nam verba ſunt Neronis ſibi ipſi loquentis.

Poſtquam cuncta ſcelerum pro egregiis accipi videt. Auctior voce Florentinus, *ſcelerum ſuorum.*

Eucerus, natione Alexandrinus. Flor. Ven. & alii veteres habent, *natione Alexandrina.*

Canere tibiis doctus. Floren. *canere per tibias doctus.*

Mouetur tamen primò ciuilis diſſidij ſpecie. fortè aptiùs legas, *Amouetur.*

Poppææ honos repoſitus eſt. Reſtitue ex Flor. *&* 367
Poppææ honos.

Et quæſtionibus ancillarum eluſerat. fortè legendum: *& quæſtio omnis ancillarum eluſerat.* vel, vt Lipſio placet, *eluſa erat.*

Quia grauiorem facinorum miniſtri, tamquam 368
exprobrantes aſpiciuntur. Flor. habet, quia *malorum facinorum.*

Præfectum ſpe ſociandæ claſſis corruptum. In eodem Flor. legitur, *Præfectum in ſpem ſociandæ claſſis.*

Melioris olim fortunæ recordatione leuabant. Idem Flor.& Venetus; *alleuabant.*

369 *Communéque Germanici, & poſtremò Agrippinæ nomen cieret.* Iidem libri habent, *communéſque Germanicos.* Mercerus autem nihil mutandum cenſet. Ait enim, commune Octauiæ cum Nerone nomen Germanici, qui Neroni auus, Octauiæ patruus. commune item Agrippinæ, quæ Neroni mater, Octauiæ patruelis, & propter Claudij matrimonium matris loco.

Annalivm Lib. XV.

372 I*Nerant milites, & prouiſi antè commeatus.* Reſtituenda copula ex Flor. ac Veneto: *Inerántque milites.*

376 *Tria millia dilectorum proximo Tauri iugo impoſuit.* Aliter legitur in Flor. *trià millia delecti pedites proximo*, &c. fortè, *delecti peditis.*

Qui in vnum habitus, vagum hoſtem promptiùs ſuſtentauiſſet. Floren. habet, *qui in vno habitus.*

Ægrè compulſum ferunt, vt inſtantem Corbuloni fateretur. Libri veteres, atq; inter illos Flor. noſter, addunt: *& ægrè compulſum ferunt.* ſuſtulit Rhenanus particulam, *&*, ſine cauſa, nam idem valet hîc, quod, *etiam.* Quæ ſequuntur verba, ego libenter legerim; *vt inſtantia Corbuloni fateretur.*

Facta ſæpiùs eruptione. Et hîc excidit, aut ſublata fuit copula: quam ex Flor. repone; *factáque ſæpius eruptione.*

Se

Se ſidem interim, donec vita ſuppeditet, retenturum. Meliùs puto legi in Flor. & in Ven. *retenturos*: vt ad ipſum ducem, & ad exercitum referatur. 377

Præter alia aſſueta bello. Flor. *ſueta.*

Vbi par eorum numerus adipiſceretur. Corrigit Lipſius, *aſpiceretur.* quod eò magis verum cenſeo, quòd in Flor. legitur, *apiſceretur.* vt facilis fuerit lapſus.

Modò Caſtellum, quo imbellis ætas defendebatur, oppugnare. Flor. habet, *adpugnare.*

Et alij propria ignauia, vt Corbulonem opperientes. Ita Rhenanus mutauit, cùm in Flor. & alijs veteribus legatur; *aut Corbulonem opperientes.* quod mihi non diſplicet, vt intelligatur, eos qui Corbulonem opperiebantur, non ignauia id facere, ſed fortaſſe prudenti conſilio. Venetus quoque addit; *aut metu, Corbulonem opperientes.* alio, nec malo, ſenſu, dummodo ſit à libris. 378

Et ſi qui duces obtinendæ donandæve Armeniæ egerant. Lectio Flor. codicis eſt: *& ſi qua ces. obtinendæ*, &c. vndè ſuſpicor legendum eſſe: *& ſi qua Cæſares.*

Imaginem retinendi donandive penes nos. In eodem Flor. legitur, *retinendi largiendive.*

Interim fluuio Arſameti, is caſtra præfluebat, pontem impoſuit. Flor. *flumini Arſameti.*

Nam & munimenta ingreſſi ſunt. Idem Flor. ac Venetus; *Namque & munimenta.* 379

Antequam agmen romanum decederet. Iidem libri, *excederet.*

Et proximus quiſque regi vi equorum perrumpere. de mendo ſuſpicatur Lipſius. nec Floren. variat, niſi quòd habet; *& proximus quiſque regem.*

Donec referantur literæ Neronis. Reſtitue ex Flor. alijſque veteribus, *referreptur.*

380 *Ne lacrymis quidem temperauere.* Flor. ac Ven. *temperare.*

Hæc conquerentium, irritum laborem, &c. Cùm Flor. & alij veteres habeant; *hoc conquerentium*: ſuſpicor legendum eſſe; *hoc conquerente, ſuum irritum laborem.* hoc, ſcilicet Corbulone. Ita ſentit etiam Muretus.

Amnemque vt omnium medium faceret. Rhenanus repoſuit illud, *vt omnium*, cùm in Flor. Ven. alijſque veteribus legatur, *vt olim.* quod probum erat, neque mutandum.

Diruptaque quæ vltra Euphratem communierat Corbulo. Iidem veteres libri; *dirutaque.*

Frumentum plebis vetuſtate corruptum. Muretus legit, *frumentum publicum.*

381 *Qui magna cum inuidia Senatum adeunt.* Relatiuum, *qui*, referendum eſt ad vocem antecedentem, *patres.* ſcilicet, veri patres, qui legitimos filios habebant.

Ac ne vſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet. Cælibes enim ex teſtamentis nihil capere poterant, niſi è proximè iunctorum: Orbi verò

dimi-

dimidium. Vide quæ ſuprà notauit Lipſius ad librum 3. pag. 117. ſuper verbis; *de moderanda Papia Poppæa.* quæ in ipſius commentarijs reperies, pag. 143.

Aduerſus nouam prouinciarum ſuperbiam. 382
Flor. habet, *prouinciarium:* ex quo ego legẽdum puto, *prouincialium.* Sic paulo ſuprà dixit; *vt ſolent prævalidi prouincialium.* & infrà: *maneat prouincialibus, potentiam ſuam tali modo oſtentandi.*

Decernaturque & maneat prouincialibus, &c. Corrigit Lipſius, *Decernatur, ne maneat.* Mihi autem vulgata lectio facilè defendi poſſe videtur, imo aliquam maiorem vim habere, cùm ſit inuidioſa quædam conceſſio; hoc eſt: Decernatur accuſatio ad prouincialium nutum, & maneat illis vſus & autoritas, potentiam ſuam tali modo oſtentandi. quaſi dicat, hoc nihil refert, & vtcùmque tolerari poteſt. Sed laus falſa, & precibus expreſſa cohibeatur. Idem poſtea viſus eſt ſentire Lipſius in nouiſſimis ſuis Notis.

Quædam imo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, &c. Videtur ſenſus: Magiſtratus noſtri has virtutes non curant, eaſque odio habent, dum nihil aliud præcipuè ſtudent, niſi vt populis placeant, quò viciſſim à populis laudentur.

Locus puerperio Colonia Antium, vbi ipſe generatus erat. Additur in Flor. & in Ven. verbum, *Colonia Antium fuit.* 383

Et certamen ad exemplar Atticæ religionis de-

cretum. Muretus legit; *Antianæ religionis.* Lipſius; *Actiacæ regionis.* Ego nihil aliud dicam, niſi quòd in Floren. corruptè legitur, *actierce religionis.*

Vnde gloriæ egregiis viris & pericula gliſcebant. Flor. ac Ven. habent, *vnde gloria.* quod verum puto, cùm vox, *gloriæ*, in plurali numero rariſſimè vſurpetur.

Interim veris principio Legati Parthorum, &c. Iidem libri; *Inter quæ veris principio.*

384 *Bellum anceps, an pax in hoſte placeret.* Rectè, vt opinor, emendauit Lipſius, *an pax inhoneſta*; cùm in optimo Floren. legatur. *an pax inhoſta.*

385 *Non enim adhuc eò ventum, &c.* Flor. *Nec enim adhuc.*

386 *Et ſimulacris deum in modum templi.* Nulla hîc ex Flor. codice lux, niſi quòd in eo legitùr, *& ſimulacris dm.* Ac ſi ea vox aliter interpretari non poſſit, quàm, *deum*; mihi certè abſurdum non videretur, cùm ſolemnis illa cærimonia in caſtris fieri deberet, aliqua etiam ſimulacra deorum circumpoſita fuiſſe, ad maiorem ornatum ac venerationem: non quidem in ſignis, cùm Lipſius, diligentiſſimus antiquitatis perſcrutator, hoc neget; ſed circum tribunal Imperatoris, in modum Templi. Nam vt aræ in caſtris, ita etiam deorum imagines fuiſſe credendum eſt. Herodianus lib. 4. ait, *Antoninum veniſſe in ſacellum, vbi ſigna*

ſigna & imagines exercitus adorantur. licet fortaſſe intelligi poſſit de Aquilis, & imaginibus Cæſarum. Ego tamen in alium Taciti locum incidi, qui me adhuc ambigere cogit, num in ſignis etiam deorum imagines fuerint. ait enim infrà, pag. 557. de Antonio Primo: *Mox conuerſus ad ſigna, & bellorum deos, hoſtium potiùs exercitibus illum furorem, illam diſcordiam iniicerent, orabat.* niſi ſi bellorum deos vocat, ipſas Aquilas. vt Annal. lib. 2. pag. 62. dixit de Aquilis: *ſequerentur romanas aues, propria legionum numina.*

Conuiuium buccina dimitti. Firmauit Lipſius in notis, hoc intelligi de claſſico, quod tempore conuiuandi, cuncti tibicines ac buccinatores ad tentorium ducis canebant, vt ait Polybius lib. 14. At quia de buccina tantùm Tacitus loquitur, & de conuiuij fine, ſcrupulus mihi erat de huius loci ſententia. Quem tandem ſuſtulit idem Lipſius de Militia romana libr. 5. dial. 9. atque interpretatur, claſſicum illud omnium ſignorum cecinisſe ante cænam, buccinam verò poſt cœnam. 387

Et ſtructa ante Auguralem aram ſubdita face accendi. Corrigit Lipſius; *& ſtructam ante Augurale aram.* quæ correctio in parte confirmatur à Flor. & Ven. qui habent, *& ſtructam.*

Cuncta in maius extollens. Floren. ac Ven. *attollens.*

Poſtremo die ſpatium orauit, &c. Lipſius legendum putat; *Poſtero die*: nam vt ipſe notat, pernoctauit Tiridates in caſtris, vt ex vigilijs nunciatis apparet. Addo ego illud, *poſtero*, à Flor. confirmari.

Tantuſque Romæ, quantus conſulibus, honor eſſet. Adde hîc, Flor. codicis autoritate: *tantuſque ei Romæ.*

Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto non erat notitia noſtri. Flor. habet: *non inerat.*

Apud quos ius imperij valet, inania tranſmittuntur. Leuiter dubitaui, num, *vis imperij*, legendum ſit. *Vis* enim aptiùs opponitur ad *inania*, quàm *ius*. quaſi dicat; Illi inania ſectabantur, nos rerum ſubſtantiæ inſiſtimus. quomodo dixit ſuprà, pag. 73. *fauorabili in ſpeciem oratione, vim imperij ſibi tenuit.* 137. *ſed Tiberius vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis ſenatui præbebat.* 410. *ad vim dominationis conuerſus.* 612. *vim principis complecti, nomen remittere.* 631. *Domitiani nomen epiſtolis edictiſque proponebatur, vis penes Mucianum.* Dixit quidem Tacitus pag. 513. *vbi conſiliis vincerentur, ad ius imperij tranſibant.* Sed diuerſus videtur ſenſus. Ibi enim rectè, pro iure conſiliorum & rationis, iure, ſiue autoritate imperij vtebantur. hîc autem nihil de iure vel autoritate agitur.

388 *Non tamen Romæ incipere ſcenas auſus.* Vox, *ſcenas*, in Flor. nulla eſt. Rectè ergo iudicauit Lipſius, tollendam eſſe.

Vbi gladiatorum munus à Vatinio celebre edebatur. Flor. habet, *gladiatorium munus.*

Vi nocendi etiam malis præmineret. Repone ex Flor. *malos.*

Nomina ſummæ curæ & medicamenta. Defectus hic locus Lipſio videtur, mihi autem ſanus & integer. Interpretor enim, nomina ſummæ curæ, & etiam ſummæ curæ meditamenta. 389

Et cuncta in rep. exinde immota ac proſpera fore. Flor. habet, *periende.* lege ergo, *perinde.* quaſi ſubintelligatur, perinde ac ſi ipſe adeſſet. Sic paulo infrà: *quo fidem acquireret, nihil vſquam perinde lætum ſibi.* 394. *non perinde ſolis vapore perrumperentur.*

Adijt Capitolium, illic veneraturus deos. Cùm Flor. habeat, *veneratus*, puto legendum & diſtinguendum: *adijt Capitolium. Illic veneratus deos, cùm Veſtæ quoque templum iniſſet, &c.*

Hæc atque talia plebi volenti fuere. Corrige ex Flor. *volentia, id eſt, grata, accepta.* Sic infrà, pag. 581. *Muciano volentia ſcripſere.* vide quæ ibi notat Lipſius.

Quas Tigellino paratas vt exemplum referam. 390
In Flor. legitur, *quas a Tigellino paratas vt exemplar referam.*

Cui ſuperpoſitum conuiuium aliarum tractu moueretur. Reſtituenda vox, quæ in Flor. conſeruatur: *cui ſuperpoſitum conuiuium, nauium aliarum tractu moueretur.*

Miſſi auſpices duo, & genialis torus. Corrigit

Lipſius ex Sulpitio Seuero: *Viſi auſpices, dos, & genialis torus.* quo nihil certius puto, cùm Florentinus præſeferat veræ lectionis veſtigium. Is enim habet: *Miſit auſpices d'os.*

391 *Rurſus inferiora populando.* Additur in Flor. *& rurſus.*

Feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas. Lipſius delet vocem, *ætate*; quæ ſi non ſuperuacua, perſpicuè vitioſa iudicari poteſt. Ego ſi quem codicem autorem haberem, libenter legerem; *feſſa annis, aut rudis pueritiæ ætas.*

392 *Nec dum poſito metu redibat. Leuis rurſum graſſatus ignis.* Si in libris conſtanter ſic legeretur, ſola diſtinctione locus ſanari poſſet, quæ huiuſmodi eſt: *Nec dum poſito metu, redibat leuis rurſum graſſatus ignis.* At mirè hîc turbant veteres, quorum varias lectiones ſubijciam, ſi quis fortaſſe elicere inde poſſit certiorem aliquam. Flor. corruptiſſimè habet, *Nec dum p' metus aut rediebat libis.* 1 *ſum graſſatus ignis.* Venetus autem ſic: *Nec dum poſito metu ſatis credebatur, cum leuis rurſum graſſatus ignis.*

393 *Ruderi accipiendo Hoſtienſes paludes deſtinabat.* fortè meliùs, *deſtinauit.*

Naues quæ frumentum Tiberi ſubuectaſſent. Flor. & alij veteres; *ſubuectæ eſſent.*

394 *Quòd is lapis igni imperuius eſt.* Flor. ac Ven. *ignibus.*

Et lectiſternia ac peruigilia celebrauere. Flor. *& ſelliſternia.*

Qui

Qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum. Illud, *qui,* à Flor.abeſt, & abeſſe poteſt.

Quam odio humani generis conuicti ſunt. Flor. 395 habet, *coniuncti ſunt.* quod probum arbitror, Nam licet innoxij quodammodo haberentur, tamen propter publicum odium coniuncti cum confeſſis fuerunt, & quaſi cumulo additi. Infrà, pag. 403, *continua hinc & iuncta agmina trahi.*

Aut crucibus affixi, aut flammandi. Niſi defectus ſit locus, ego ſic intelligo: crucibus eos affixos, vt vel ibi cruciatibus interirent, aut flammandi per tenebras reſeruarentur. Suſpicor tamen legendum eſſe: *aut crucibus affixi, vt flammandi.*

Miſsis in eas prouincias Acrato, ac Secundo Carinate, Flor. *ac Secundo Caprenate.*

Dum ſimplici victu & agreſtibus pomis, &c. Reſtitue ex Flor. *dum perſimplici victu.* Malè alij veteres, *pro ſimplici.* ſic paulo inferiùs, *perſeuerum imperium,* dixit.

Quintianus molli corpore infamis. Flor. *mollitia corporis.* 397

Quonam modo pœnas verſa reip. daret. Idem, 399 *euerſa reip.*

Coniuratis tamen metu proditionis placitum, &c. Flor. ac Ven. alijque veteres editi quos viderim, voce ſunt auctiores, id eſt; *metu proditionis permotis, placitum,* &c. Quæ vox, cùm à tam

antiquo exemplari confirmetur, fortaſſe adulterina ac ſuperuacua non videbitur.

Cuius amœnitate captus Cæſar crebrò ventitabat. Aliquid huic loco deeſt, vt integra ſit ſententia. Ego legendum puto; *quò, eius amœnitate captus*, &c. errauit fortaſſe librarius, cùm pro, *quo eius*, tranſcripſerit, *quoius*, quod antiqua ſcriptura valet, *cuius*.

400 *Ne à libertate moueretur.* Lipſius legit; *ne aut libertatem moliretur.* Ego veram, ni fallor, lectionem erui poſſe arbitror ex codice Flor. in quo legitur: *ne ad libertate moreretur.* vnde ego reſtituendum cenſeo: *ne ad libertatem oriretur.* id eſt, ne ad libertatem inſtituendam inſurgeret.

Domo aut hortis clauſus, ad ludicra circi ventitabat. Addit copulam Floren. *domóque aut hortis.*

Geſtabátque velut magni operis ſacrum. Idem Flor. habet, *magno operis.* vnde legendum puto; *magno operi ſacrum.*

Quamuis abſurdum videretur & inane, aut ipſi Antoniam, &c. Lipſius ait, Agricolam hunc locum ita emendauiſſe: *aut inani ſpei Antoniam*, &c. A qua correctione Florẽtinus fortaſſe non longè aberrat, cùm in eo legatur; *aut inane aut ſpem Antoniam.*

401 *Aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere iuſſit.* eadem ſignificatione Tacitus de moribus Germanorum in fine dixit: *ſola in ſagittis ſpes, quas, inopia ferri, oſſibus aſperant.*

Qui-

Quibuſque ſiſtitur ſanguis parare eundem Milichum monet. Neſcio,an ſit à libris verbum, *parare*, & an aliquis lateat error, cùm aliter in veteribus legatur. Rhenanus ait, in Matthiæ Coruini codice legi: *ſartiebat eundem Milichum*. In Flor. *partiebátque eundem*, &c. In alio Manuſcripto, *partiebatur*. Alij cogitent.

Adiungere crimen viſum, ſe ſe pariter indicem & teſtem facere. Corruptus hîc eſt Flor. qui tamen veræ lectioni aliquam facem præferat. Is enim habet: *adiungere crimen l3 ſi ſe pariter indicem & teſtem faceret*. Ergo legendum puto; *adiungere crimen, vt ſe ſe pariter indicem & teſtem faceret*. 402

Multa cum Sceuino ac ſecretò collocutum. Flor. *ac ſecreta*, ſed vulgata magis placet.

Cariſſima quæque ſuorum pignorum proderent. Meliùs Flor. ac Ven. *cariſſima ſuorum quiſque pignorum*. 403

Retinuit, infregítque impetum iam manum ad capulum referentis. Aliquod mendum hîc latet, nam conſtructio non conſtat. Et licet in hoc loco Flor. codex ſit aliquantulum vetuſtate obliteratus, tamen apparet, ſcriptum fuiſſe, *rennuit*. ac Manuſcriptus alius ab illo proximus clarè habet, *renuit*. Optimè ergo reſtitues locum, ſi legas; *renuit, infregítque impetum*. Flauius enim Fenio annuit, & Fenius Flauio renuit. Sic lib. 1. Ann. pag. 49. *renuit Tiberius, perinde diuina humanáque obtegens*. 404

Multa experiendo fieri, quæ ſegnibus ardua videantur. Reſtituc ex Flor. *Multa experiendo confieri*.

Animum aduerſum ſuprema firmat. Flor. ac Ven. *firmabat*.

405 *Et villam globus militum ſepſit*. Meliùs ex Flor. leges, *globis*. vt Tribunus ſit is, qui ſepſit villam globis militum.

Se ratione valetudinis, & amore quietis excuſauiſſe. Aliter in Flor. legitur: *ſéque rationem valetudinis, & amorem quietis*, &c.

406 *Quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat*. Flor. & Ven. habent, *quod vnum iam, & tamen pulcherrimum*. Lego, *attamen*. Ait enim; Vnum iam ſibi reliquum, attamen pulcherrimum, id eſt, ſuæ vitæ imaginem.

Et paululum aduerſus præſentem formidinem mollitus. Nulla hîc formido: neque antecedentia aut ſubſequentia verba, vllam formidinē in Seneca poſſunt arguere. Lege ergo cum optimo Flor. *aduerſus præſentem fortitudinem mollitus*. Scilicet Seneca, dum vxorem complectitur, aliquantulum contra ingenitam ac præſentem animi fortitudinem emollitus eſt, quaſi mors ei moleſta eſſet amore vxoris.

Temperaret dolori, ne æternum ſuſciperet. Corrupta hæc videntur. nec minus in Florent. qui habet; *temperaret dolorem, æternum ſuſciperet*. Franc. Medices in ſuo libro adnotauit, legendum ſibi videri; *temperaret dolori, ne mortem ſuſci-*

ſuſciperet. Quæ coniectura fortaſſe non erit improbanda, cùm paulo poſt, vxor ad hæc reſpondens, ſibi quoque deſtinatam eſſe mortem adſeueret. Tamen doctiſſimus Baptiſta Guarinus, dum hæc mea ſcripta legeret, reſcripſit, ſententiam ſibi cum priori lectione ſatis congruam videri; vt ſcilicet non doleret, ne in æternum doleret. nam qui dolorem in principio reprimit, indolentiam ſuſcipit in futurum. Seneca enim alloquitur vxorem, tanquam is qui vellet ipſam viuere.

Ac ne inuidia gliſceret crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Teſtatur Rhenanus, abeſſe à ſuo Manuſcripto verbum, *imperat*. Ego item à Flor. noſtro, atque à duobus alijs item Manuſcriptis. Veriſimile ergo eſt, Tacitum ſcripſiſſe, *inhibet mortem*. 407

Poſt occiſum ope Piſonis Neronem. Flor. *opera Piſonis*. 408

Traderetúrque imperium Senecæ, quaſi inſonti. In eodem Flor. legitur, *inſontió*. quam additionem ego arbitror fuiſſe copulam pertinentem ad ſequentia. Lege ergo: *quaſi inſonti, & claritudine virtutum*, &c.

Accenſis indicibus ad prodendum Fenium Rufum. Vocem addunt Flor. ac Ven. *accenſis quoque indicibus*.

Inſtanti minitantique renitens Sceuinus. Iidem libri, *renidens*. quod aptius proculdubio eſt, & Lipſio probatur.

Mox eorum indicio Subrius Flauius. Floren. *Mox eorumdem indicio.*

409 *Neque ſi armatum cum inermibus effeminatis.* Reſtituo copulam ex Flor. *cum inermibus & effeminatis.*

Auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti. Hic quoque addit copulam; *auriga, & hiſtrio, & incendiarius.*

Militaris viri ſenſus & incomptos & validos. Floren. *ſenſus incomptos & validos.* vnde fortaſſe benè Rhenanus: *incomptos, ſed validos.* ac Lipſio placet.

Quem Flauius, vt humilem & anguſtum increpans. Flor. & Venetus habent: *quamuis* (lego, *quam*) *Flauius vt humilem & anguſtum.*

Admonitus fortiter protendere ceruicem. Flor. *admonituſque.*

Non aliter tot flagitiis eius ſubueniri poſſe. Idem, *potuiſſe.* Simile eſt quod ait Suet. in Tib. cap. 66. *Quin & Artabani Parthorum Regis laceratus eſt literis, parricidia, & cædes, & ignauiam, & luxuriam obijcientis, monentiſque, vt voluntaria morte maximo iuſtiſſimoque ciuium odio quamprimum ſatisfaceret.*

410 *Conuiuium celebrat,* Flor. *conuiuiumque.* Ven. *celebrarat.* puto ergo legendum: *conuiuiumque celebrabat.*

Poſtquam pauorem eorum imminens exitium opperientium. Flor. habet *& m̄ſa exitium.* Hinc Franciſcus Medices legendum putauit, *ex men-*

ſa exi-

ſa exitium. optima, vt mihi videtur, coniectura. quaſi dicat, vice epularum, mortem opperiebantur.

Quaſi principem non quidem odiſſent, ſed tamen exiſtimarentur. Rhenanus hoc verbum repoſuit, cùm in Flor. & alijs veteribus legatur, *extimarentur*. Quod verbum ego potiùs corrigendum puto, *extimerentur*. id eſt, non quaſi ipſi principem odiſſent, ſed quaſi eos princeps timeret propter virtutes. 411

Muſonius præceptis ſapientiæ fouebat. De eo vide Philoſtratum in vita Apollonij lib. 4. cap. 12. & 16. & Tacitum infrà, pag. 600. 412

Sine abſolutione in ſupplicio diſſimulata. Lipſius ait, in Romano codice legi; *ſine abſolutione, ſine ſupplicio*. Eandem quoque lectionem præfert Floren. qui habet: *ſine abſolutione ſine ſupplicio*.

Apud Palatium effigies eorum quoque ſiſteret. In Flor. & Veneto meliùs tranſpoſitè legitur: *apud Palatium quoque effigies eorum ſiſteret.*

Dedit etiam conſularia inſignia Nymphidio. Verba, *dedit etiam*, abſunt à Flor. & Ven. & abeſſe ſalua ſententia poſſunt, cùm ſubintelligatur verbum, *tribuit*, ſuprà poſitum.

Neu compoſitam & obliteratam manſuetudinem Principis, nouam ad ſæuitiam traheret. confuſa ſententia eſt, neque aliud variat Flor. liber, niſi quòd habet; *aut obliteratam*: &, *retraheret*. Vtrumque rectiùs. Videntur tamen hæc verba 413

vtrumque ſic conſtrui poſſe: neu manſuetudinem principis retraheret ad nouam ſæuitiam, compoſitam iam, aut obliteratam. Sed cùm conſtructio hæc inepta & abſurda videri poſſit, potius ſuſpicor legendum eſſe: *neu compoſitam aut obliteratam immanſuetudinem principis, nouam ad ſæuitiam retraheret.* Senſus certè aliquid tale exigit.

ANNALIVM LIB. XVI.

414 P*Er vanitatem ipſius, ex promiſſo Ceſellij Baßi.* Lege ex Flor. ac Veneto; *& promiſſa.*

Quæ per tantum æui occulta, augendis præſentibus bonis. Venetus verbo auctior eſt; *augendis præſentibus bonis latuerint.* Illud tamen à Floren. abeſt.

415 *Credulitate prodentis diuerſa fama tulerat.* Flor. *tulere.*

Oratoribuſque præcipua materia in laudem principis aſſumpta eſt. Mendoſam aliquam vocem hîc inculcant libri omnes veteres. Flor. habet: *anaratoribus, oratoribúſque.* Lipſius variè emendat. Quid ſi legas; *adulatoribus, oratoribúſque?*

Sed noua vbertate prouenire terras. Floren. *terram.*

Non falſa antè ſomnia ſua. Idem, *antea.*

416 *Adijcit facundiæ coronam.* Idem, *adijcítque.*

Se æquum aduerſus æmulos, & religione indicum

cum meritam laudem aſſecuturum. Mendoſus locus Lipſio videtur: tamen ego clarum vtcumque ex eo ſenſum elicio. Ait enim Nero; ſe in Scena æquum, id eſt, æqualem parémque eſſe aduerſus æmulos, ijſque non infenſum; & victoriam adipiſci velle, iudicũ religione ac conſcientia, non tanquam Princeps ab illis reſpici atque anteferri. Ideo paulo infrà ait; *ſententias Iudicum opperiebatur ficto pauore.*

Quique per longas prouincias laſcinia inexperti: legendum puto, *per longinquas prouincias*; cùm Flor. habeat, *per longuas.* Sic ſuprà, pag. 280. *longinquas in prouincias commeatus portabant.*

Et inania ſimul & falſa. Abeſt primum, *&*, à 418 Flor. & Ven.

Et exitio patrui ad præcauendum exterritus erat. ſuſpicor legendum; *exercitus erat.*

Deportatuſque in Inſulam Sardiniam Caſſius, & Senatus ius expectabatur. Cùm in Flor. legatur, *& Senatus eius*, Franc. Medices cenſebat ſic emendari poſſe hunc locum: *& ſenectus eius expectabatur.* id eſt, vt ſenectute caderet, contrà quàm acciderat Silano, cuius ſenectus non expectata fuit. Acutè quidem. Ego tamen conijcio, potiùs legendum eſſe: *& exitus eius expectabatur.* hoc eſt, timebatur, ne Centurionem Nero ad cædem eius mitteret, vt in Silanum factũ fuerat, & vt moris erat tunc, ad fugiendam inuidiam ciuitatis. ſic de Lollia ſuprà, pag. 269.

Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permit- 420

tens. Lipſius ait, Fabro placuiſſe; *mortem ſuo arbitrio*. Ipſe autem ex ingenio ſubſtituit; *mortem ſine arbitro*, id eſt, liberam, ſine domino, ſine iudice. ſicut lib. 1. pag. 19. dixit: *An præmia ſub dominis, pœnas ſine arbitro eſſe?* Addo ego, hanc Lipſij coniecturam à Flor. codice penitus confirmari.

Et menſis qui Aprilem, eundémque Neroneum ſequebatur, Maius Claudij, Iulius Germanici vocabulis mutantur. Cùm in vulgatis omnibus, & editis, & Manuſcriptis, legeretur, *Iunius Germanici*, Lipſius repoſuit, *Iulius*, atque in contextum recepit, nihil aut in commẽtarijs, aut in margine librorum notans. Tantùm in antiquioribus ſuis Notis ait, vocem Iunij falſam eſſe, quia ſtatim ſequitur, Iunium menſem tranſmiſſum fuiſſe. Mihi autem diſſentire liceat, ac ſuadere, vt priſca ac genuina vox, *Iunius*, in libris omnino reſtituatur. Orfiti adulatio eò ſpectat, vt Iunij menſis nomen, ob Iuniæ familiæ ſcelera, tanquam infauſtum deleretur, atque ab aliquo ex Neronis cognominibus denominaretur; cùm iam ipſe Aprili nomen dediſſet. Ac ne menſis Maius in medio vacuus remaneret, excogitauit, Maium Claudij, Iunium Germanici appellationibus commutari poſſe, vt horum trium cognominum ſeries in menſibus continuaret. Hanc itaque fuiſſe mentem ac ſententiam Orfiti mihi videtur. Nam quid menſi Iulio oportebat nouum nomen imponere? nunquam credat

das id excogitatum, cùm Iulio Cæſari notabilis ignominia ex ea ſententia proueniſſet. Præterea ſi nomen Iunium in integro remanſiſſet, inſignis honor Iuniæ familiæ fuiſſet, cuius nominis obliuio potiſſimùm quærebatur. At Tacitus ait, *Iunium menſem transmiſſum.* Fateor: ſed interpretor, tranſmiſſum in nomen Germanici, ac tranſmutatum. Idque eodem ſenſu dictum videtur, quo apud Suetonium, tranſnominatum. Verba eius ſunt in Domit. cap. 13. *Septembrem menſem & Octobrem ex appellationibus ſuis, Germanicum, Domitianumque tranſnominauit.* Niſi potiùs ſuſpicari liceat, mendoſum eſſe in Tacito verbum, *tranſmiſſum*, ac reſtituendum, *tranſnominatum*, quod fortaſſe aliquo literarum compendio ſcriptum fuerit, vt cauſam errori dederit.

Infauſtum nomen Iunij tum feciſſent. Flor. habet; *nomen Iunctum.* Rectè ergo Lipſius emendauit, *nomen Iunium.*

Ventitare ad eum nuntios & conſolationes non fruſtra ratus. Quod Lipſius ex ingenio correxit, *nuntios & conſultationes*, ego autoritate Flor. codicis confirmo. 421

Neque aliam defenſionem ab iis quibus iſta noſcentur exegerim, quam ne oderim tam ſegniter pereuntes. Lipſio aſſentior, *oderint*, legenti. Senſus enim, qui ſanè ſubobſcurus eſt, mihi videtur huiuſmodi: Hi adeò ſegniter perierunt, vt ferè defendi atque excuſari ſegnities eorum 422

non poſſit. Itaque ab ijs qui iſta legent non exigo, vt eos defendant, ſed tantùm ne oderint.

423 *Rufum autem Criſpinum.* Flor. *Rufum tamen Criſpinum.*

425 *Interfecto Barea Sorano, & Thraſea Pato.* Tranſponuntur in Flor. *interfecto Thraſea Pato, & Barea Sorano.*

Quòd Senatus egreſſus eſt, cùm de Agrippina referretur, Muretus legit, *egreſſus eſſet.* Rectiùs.

426 *Funeri non interfuit.* Flor. habet, *non interfuerit.* ergo ſuprà, pro, *decernuntur,* legerim, *decernerentur.*

Inimicus Thraſea, quòd autoritate eius conciſſet. Idem Flor. habet; *iniquus Thraſea.*

Rigidi & triſtes, qui tibi laſciuiam exprobrent, Flor. *quo dibi.* lege, *quò tibi.*

Huic vni incolumitas tua ſine arte, ſine honore, Lipſius excidiſſe vocem putat; *ſine cura, artes ſine honore.* Quod eò magis conijci poteſt, cùm Flor. habeat, *artes.*

Si peruerterint, ipſam aggredientur. Ingeminat Flor. *ſi peruerterint, libertatem ipſam aggredientur.* & ad verbum, *peruerterint,* notatum eſt in margine, ſed eadem (vt videtur) antiqua manu, *impetrauerint.*

427 *Vt ad externa rumoribus inteſtinum ſcelus obſcuraretur.* dubito, an legendum ſit, *vt ab externis rumoribus.*

Exter-

Exterritum Thraſeam ſenſiſſe, per quæ claritudinem principis extolleret. Reſtituo ex Flor. *ſcripſiſſe:* quod coniectura præuiderat Lipſius.

Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretum circumdare. Etiam à Flor. cõfirmatur hoc verbum, *circumdare*, à Lipſio ex libris alijs repoſitum.

Sin crudelitas perſiſteret, diſtingui certè apud 428 *poſteros*, &c. Flor. & Ven. habent, *ſin crudelitati inſiſteret.*

Quod tali tempore capeſſendæ reip. iter aggrederetur. Addit Flor. *quod tali in tempore.*

Quid mirum è longinquis prouinciis aduenire. 429 Diuinabat Lipſius, legendum eſſe, *haud veniri.* Idque ferè conuenit cum Floren. qui habet *haduenire.*

Cùm per hæc atque talia Marcellus inueheretur toruus & minax. Si attendas, videbis, hæc duo verba, *inueheretur*, &, *ardeſceret*, orationem ferè confundere. In Flor. legitur: *Marcellus uteret toruus & minax.* quod ſaltem veræ lectioni afferat nobis lucem. Corrigẽdum igitur cenſeo: *Cùm per hæc atque talia Marcellus, ut erat toruus & minax, voce, vultu*, &c.

Quodque Proconſul Aſiæ Soranus pro claritate 430 *ſibi potiùs accommodatum.* In Flor. ſcribitur, *procos.* Quod interpretari facile poſſit, *proconſulatum*, quomodo Lipſius etiam legendum ſuadet.

Sed recens, diſcrimini patris filiam connectebat. Flor. addit; *ſed recens, & quot diſcrimini.* fortè, *& quòd diſcrimini.*

432 *Porrectis vtriuſque brachij venis.* Reſtituenda eſt copula ex Flor. *porrectiſque.*

Quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis. Flor. ac Venetus, *expediat.*

HISTORIARVM LIB. I.

434 *ATque omnem poteſtatem ad vnum conferri pacis interfuit.* Flor. habet; *atque omnem potentiam.*

Sed ambitionem ſcriptoris facilè aduerſeris. Muretus legit, *aduerteris.* Ego autem reſtituere mallem, *auerſeris.* Similis enim lapſus in his libris reperitur, vt in libello de moribus Germ. ad pag. 668. adnotabo.

Tria bella ciuilia, plura externa. Flor. *trina bella ciuilia.*

435 *Agerent, ferrent cuncta. Odio & terrore corrupti in dominos ſerui.* Aliter legitur ac diſtinguitur in Florent. *Agerent, verterent cuncta odio & terrore. Corrupti in dominos, &c.*

Non modo in vrbe apud patres, apud populum, apud vrbanum militem. Flor. ac Venetus: *apud patres, aut populum, aut vrbanum militem.*

436 *Quam olim virtutes verebantur.* fortè meliùs, *reuerebantur.*

437 *Odio flagitiorum onerabant.* Meliùs reſtitues ex Floren. *oneratum.* quod verbum Rhenanus ſine cauſa mutauit, vt Lipſius affirmat.

Multi ad hoc & innumeri è Germania, &c.

Clarè

Clarè legitur in Floren. *multi ad hoc numeri.* quod Lipſius, indicio Farn. codicis emendauerat.

Jam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti. Non tantùm libertos venalia cuncta attuliſſe crediderim, ſed & pleroſque interiores Principis amicos. infrà enim, pag. 441. ait, principatus potentiam diuiſam fuiſſe in T. Vinium Conſulem, & Cornelium Laconem prætorij Præfectum: nec minorem gratiam fuiſſe Icelo Galbæ Liberto. ergo amici potentiores libertis. Ideo legendum & diſtinguendum puto: *Iam afferebantur venalia cuncta. Præpotentes liberti.*

Eadémque noua Aulæ mala, æquè grauia, non æquè excuſata. Duobus modis intelligi poteſt hic locus. primo: Erant tunc eadem mala, quæ in noua Aula eſſe ſolent, & æquè grauia, ſed non æquè excuſata: quia plerunque noua aula iuuenem principem habet, cuius vitia quodammodo excuſantur per ætatem, aut ſpe mutationis in melius. Galba autem ſenex erat, atque idcirco aulæ ipſius, quamuis nouæ, mala, non perinde excuſabantur. Secundo: Huius nouæ aulæ Galbianæ erant eadem mala, & æquè grauia, (ſubintellige) ac in antecedente Neroniana fuerunt; ſed non æquè excuſata propter Galbæ ſenium, vt ſuprà. prior tamen ſenſus mihi magis probatur. 438

Mox attritis opibus ambitioſe coluerat. Placet 439

Lipſio vox, *atteritis*, in Vat. codice reperta. quam ego etiam Flor. noſtri autoritate fulcio.

Et cui expeditiùs fuerat tradere imperium. Flor. & Ven. *fuerit*.

440 *Paucis iudicium aut reip. amor, multi occulta ſpe*. In Flor. legitur, *militis occulta ſpe*. fortè, *multis occulta ſpes*. præceſſit enim, *paucis*.

Etiam in T. Vinij odium diuerterant. Verbum, *diuerterant*, non eſt in optimo Floren. neque in Veneto, neque Taciti germanum eſſe arbitror, ideoque tollendum, cùm ſenſum peruertere videatur. Lego igitur ac diſtinguo: *hunc, vel illum, ambitioſis rumoribus deſtinabant, etiam in T. Vinij odium: qui in dies*, &c. Clara nunc redditur ſententia. Erat ciuitas plena ſermonibus, quis à Galba adoptaretur, & aut hunc, aut illum, pro cuiuſque affectu, deſtinabant, cupiebántque vulgò id quam primùm perfici, etiam in T. Vinij odium. cùm enim Galbæ ſucceſſor aliquis deſtinatus foret, ſperabant, ab illo nimiam Vinij potentiam infractam iri.

Qui in dies quantò potentior, eodem actu inuiſior erat. Verba, *eodem actu*, corrupta eſſe liquet. ac ſi coniecturæ locus eſſet ſine ope librorum, ego libenter reſtituerem; *qui in dies quantò potentior, eò cunctis inuiſior erat*.

442 *Seu propria dilectione, ſiue, vt quidam tradiderunt, Lacone inſtante*. In Flor. legitur; *ſeu propria electione, ſiue, vt quidam crediderunt*.

Secun-

Secunda res acrioribus ſtimulis animum explorant. Meliùs, credo, in Floren. legitur; *animos explorant.* 443

Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur. Illud, *etiam*, in hoc loco ſuperuacuum & ineptum videtur, ac ſuſpicor, ad antecedentia pertinere. Sic ergo legerem: *ſua cuique vtilitas etiam. Ego ac tu ſimpliciſſimè, &c.*

Vtiliſſimus quidem ac breuiſſimus, &c. Nonnulli veteres habent, *Vtiliſsimus idem.* Ego legendum puto; *Vtiliſsimuſque idem ac breuiſsimus*, &c. 444

Bonarum malarúmque rerum dilectus. Flor, addit; *rerum delectus eſt.*

Cogitare quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris. In eodem Flor. meliùs tranſpoſitis verbis legitur: *cogitare quid aut volueris ſub alio principe, aut nolueris.*

Quartam & duodeuiceſimam legiones. Repoſitum quidem ita fuit in Flor. codice à recentiori manu: apparet tamen, antea ſcriptum fuiſſe, *duo & viceſimam.* quod ex hiſtoria rectum eſt.

Nec vllum orationi aut lenocinium additum, aut pretium. Flor. *addita vt pretium.* lege; *addit, aut pretium.* 445

Et proximi militum gratabundi reſpondent. Vox, *gratabundi*, à Rhenano eſt, ex ingenio potiùs puto, quàm ex fide librorum: qui omnes hîc corrupti videntur. Venetus, *grata auditu.* Flor. *grata audito.* Ego ſuſpicor legendum, *grata*

ac læta. acclamationes ſcilicet, quibus fauſta omnia precari ſolebant. Infrà, pag. 536. *militariter locutus, læta omnia & affluentia excepit.* 639, *magna voce, læta Piſoni omnia*, &c. Lætum, etiam apud Tacitum, idem ferè quod gratum, aliquando. vt pag. 44. *atrociora Inguiomero, & læta barbaris.* 60. *Tribunos & Centuriones læta ſæpiùs quàm comperta nunciare.* 652. *Lætum militibus idem nomen.* In Diui Neruæ edicto, apud Plinium iuniorem lib. 10. epiſt. 66. *neceſſarium pariter credidi ac lætum, obuiam dubitantibus indulgentiam meam mittere.*

Dictúm à Piſone in publicum factúmve. Flor. *in publico.*

Inde repeti, vnde inopia cauſa erat. In Flòren. & aliis veteribus legitur; *vbi inopia cauſa erat.*

447 *Cupidine ingenii humani, libentiùs obſcura credi.* Videtur legendum, *credendi.*

448 *Ægrè ſub armis emitterentur.* Flor. habet, *eniterentur.* quod probum videtur: niſi fortè aptius ſit, *emetirentur.*

In commune omnes metu mutandæ militiæ terrebantur. Flor. *exterrebantur.*

450 *Pars clamore & gladiis, pars ſilentio.* Muretus legit, *pars clamore & gaudiis.*

Animos ex euentu ſumpturi. Florent. *animum.*

Igitur conſultantibus placuit tentari animum cohortis. Idem Flor. ac Ven. *pertentari.*

Vt qui aduerſa expertus cum maximè, ducam

ne

ne ſecunda quidem,&c.Rectè. tamen in Flor. legitur; *vt qui aduerſas res expertus cum maximè, ducam ne ſecundas quidem*,&c.

Si reſp.& ſenatus & populus vana nomina ſunt. 451 Optimum puto.moneo tamen,in Florent.legi, *vacua nomina.*

Vt turbidis rebus euenit, timore magis, & nonnullo adhuc conſilio,parat ſigna,&c.In Floren.etiam, vt in ceteris, corruptè legitur ſic: *vt turbidis rebus euentior te magis, & nonnullo adhuc conſilio,par ſignas*,&c. Vnde nihil aliud eruere poſſum, niſi quod verba illa, *euentior te magis*, corrigenda puto;*euenit,fortè magis*,&c.reliqua ſunt apud me ſuſpecta.

Occiſum a ſe Othonem clamauit. Florent. *ex-* 454 *clamauit.*

Prehenſare manibus,complecti armis.Muretus mallet,*complecti artiùs.*

Poſtquam vniuerſa claſſiariorum legio ſacramentum eius accepit. Florent.habet, *claſſicorum.* quod rectius puto. ſic ſuprà, pag. 451. *legioni claſſicæ diffidebat*. infrà, 498. *pars claſſicorum mixtis paganis*. 500. *mille claſſici*. 528. *prima claſſicorum legio.*

Tot millia innocentiſſimorum ciuium trucida- 455 *uerit*.Idem Flor.*innocentiſſimorum militum*. Idque verius credo: non enim omnes milites ciues romani erant. & ſuprà pag. 437. dixit: *Introitus in vrbem, trucidatis tot millibus inermium militum.*Item pag. 451. *Legioni claſſicæ diffide-*

bat, infeſtæ ob cædem commilitonum, quos primo ſtatim introïtu trucidauerat Galba.

Minore auaritia aut licentia graſſatus eſſet. Flor. *ac licentia.*

Etiam deos infauſtam adoptionem aduerſantes. Muretus legendum putat, *auerſantes.* quod rectum cenſeo. ſic ſupra, pag. 20. *ſua facinora auerſari deos lamentantur.* infrà, 566. *néue ſe vt parricidam auerſarentur:* ita enim legitur in optimis libris. notaui etiam ſuprà, ad pag. 434. & infrà, 668.

456 *Aperire deinde armamentarium iuſſit*, lege, *aperiri.*

457 *Dereptam Galbæ imaginem ſolo afflixit.* Intellige, hanc imaginem Galbæ fuiſſe ſuper ſigno cohortis. Nam vt antea Deorum imagines ſignis innectebantur, Sic Principum tempore, ipſorum Imperatorum. Vide Lipſium de militia rom. lib. 4. dial. 5. & ad Tacitum lib. 14. Annal. pag. 386.

458 *Ad Galbæ cuſtodiam à Piſone additus.* Lipſio aſſentior, qui legendum ſuſpicatur; *à Galba cuſtodiæ Piſonis additus.* Ducit me ad hanc ſententiam Flor. liber, qui, licet corruptè, idem ſentire videtur. Ait enim: *à Galbæ cuſtodi & a Piſonis additus.*

Iuſſu Othonis nominatim in cædem eius ardentes. Floren. ac Venetus; *miſſu Othonis.* quod ſæpè Tacito vſitatum.

Tradi-

Tradito Principibus more, munimentũ ad præ- 459 *ſens, in poſterum vltionem.* De ſinceritate huius loci adhuc dubito. nam neque priorem, neque poſtremam Lipſij emendationem ſatis probare poſſum: præſertim cùm illud, *tradito more*, ſit autori noſtro familiare, vt pag. 452. *tradito more, quemcunque principem adulandi.* Tentaui verba hæc ita conſtruere; tradito principibus more, ad munimentum præſens, & ad vltionem in poſterum. vt ſcilicet vox, *vltionem*, pendeat ex antecedenti præpoſitione, *ad*; quomodo paulo infrà dixit: *ad ſeditionem & diſcordias, & ad extremum bella ciuilia, ruebant.* Senſus autem eſſet; Principes, ex more, præſentem ſecuritatem ſibi quærere: (ſcilicet cauendo, ne occidi poſſint ab ijs, qui præceſſorem principem occiderunt) & in poſterum tradere vltionis exemplum. iuxta illud, quod antecedenti pagina dixit: *nec priores nec futuri principes terruere, quo minus facerent ſcelus, cuius vltor eſt quiſquis ſucceſſit.* Nec malè etiam legeretur, *in poſterum vltioni.* nam tunc intelligi poſſet, *munimentum*, appoſitiuè, &, *ad præſens*, aduerbialiter dictum: ſuprà, pag. 314. dixit: *Factum & ſenatuſconſultum vltioni iuxta & ſecuritati.* Nihil tamen firmare auſim, niſi quòd doleo, pulcherrimam ſententiam tenebris eſſe inuolutam, licet mens autoris vtrumque liqueat.

Namque gregarius miles, vt tributum annuum

pendebat. Gregarij milites alio vocabulo, Munifices dicebantur. Vegetius lib.2.cap.7. eos ita deſcribit: *Munifices appellantur, qui munus facere coguntur.* Sextus Pompeius Feſtus de verbis veteribus: *Beneficiarij dicuntur milites, qui vacant muneris beneficio: è contrario Munifices vocantur, qui non vacant, ſed munus reip. faciunt.* Iiſque oppoſiti ſunt Immunes, qui ab omnibus operibus muneribuſque vacabant. Ammianus lib.25. *portio pultis parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario.* Vide Lipſium de Militia rom lib.5.dial.6.

Pars manipulis pars per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga. Auctior hîc eſt Flor. *Quarta pars manipulis.* Hinc colligitur, quartam ferè partem militum, commeatibus & vacationibus, à caſtris abfuiſſe, ita vt quum priores redirent, alij ſubinde diſcederent. Hic autem mos in his Taciti verbis latet, quippe corruptis. Quæ mihi ſic reſtituenda videntur. *Quarta pars manipuli ſparſa per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga.*

460 *Vbi ſumptibus exhauſtus, ſecordia miſer elanguerat.* Vocem, *miſer*, corruptam eſſe aſſerit Flor. codex, qui habet, *ſocordia inſ.* lege ergo: *ſocordia inſuper elanguerat.* ſæpè enim ſcriptum ibi eſt, *ſ*, pro, *ſuper.* Moneo etiam, in eodem libro ſemper ſcribi, *ſocordia*, &, *ſocors*; non autem, *ſecordia*, &, *ſecors.*

Omiſiſſet tot offenſas, an diſtuliſſet, breuitate imperij

imperij in incerto fuit. Inſeruit Rhenanus vocem, *tot*, præter librorum mentem. Erroris cauſa fuit, quòd in Flor. legitur, *Omiſiſſe tot fenſas.* Veram ergò lectionem reſtitue; *Omiſiſſet offenſus:* quam habet etiam Venetus codex.

Magnum Claudius, Craſſum Nero interfecerat. Flor. *interfecerant.* 461

Proconſul Africam moderatè. Vt ſuprà aliàs, ita hîc in Flor. legitur, *Proconſule.* neque aliter per totum librum. 462

Captam toties ſuis ciuibus vrbem. Etiam Flor. & Ven. legi iubent, *ſuis exercitibus*; quod de alijs libris teſtatur Lipſius. Et vtinam Rhenanus facultatem habuiſſet conferendi potiùs hunc noſtrum codicem, quàm ſuum Budenſem, ex quo ille in Tacito multa deprauauit.

Secundum auaritiam & arrogantiam, præcipua validiorum vitia. Corrige, autoritate Flor. codicis; *ſuper auaritiam.* In eo enim ſcribitur, *ſ.* quod ſępè poſitũ eſſe pro, *ſuper*, notaui etiã paulo ſuprà, ad pàg. 460. vbi legitur, *ſocordia inſ*' (id eſt, *inſuper*) *elanguerat.* Idem error ortus eſt pag. 263. *ſecundum priorem neceſsitudinem:* vbi vetus liber habet, *ſ*' *priorem*, id eſt, *ſuper priorem.* 463

Et profuſa cupidine, inſigni temeritate. Meliùs Flor. & Venetus. *ſed profuſa cupidine, & inſigni temeritate.* 464

Imponere iam pridem imperatoris dignationem. Addit Floren. *& imponere.* quod cum altero, *&*, coniunctum, vim orationi addit. 465

Vt concupiſceret magis quàm ſperaret. Rectè; tamen in Flor. & in Veneto additum eſt; *quàm vt ſperaret.*

Cito ſermone, erecto inceſſu, ſtudia militum allexerat. Flor. habet, *inlexerat.*

Et vbi pronis militum animis accipiebantur. Flor. *militum auribus.* & proculdubio rectiùs, propter ſequentem vocem, *animos.*

466 *Quarta, ac duodeuiceſima legiones.* & hîc, & vbique infrà, in Flor. nominatur, *duo & viceſima.* Quod verũ eſt, teſte Lipſio, & hiſtoria ipſa.

467 *Coloniam Agrippinenſem Aquilifer quartæ legionis,* &c. Florentinus, *in coloniam.*

468 *Vt quiſque corpore, opibus, ingenio validus.* Suſpecta eſt Lipſio vox, *ingenio,* vt aliena & parum apta, cùm nullus ſit hîc ingenij vſus. Mihi autem incongruens non videtur. Reſpicit enim ſenes, inualidos, tenuiores: qui cùm neque corporibus, neque opibus iuuare Romanos poſſent, iuuabant ſaltem ingenio; ſcilicet, ceteros populares ambitu atq; orationibus accendẽdo.

469 *Militum conuitiis proturbantibus.* & Flor. & Venetus habent, *proturbatus.* quod Lipſio etiam probatur.

470 *Latum augurium Fabio Valenti exercituíque, quem in bellum cogebat.* Quomodo exercitum cogebat, ſi iam coactus erat, & proficiſcebatur? Corrige ergo ex Flor. *quem in bellum agebat.*

Aquila leni meatu, prout agmen incederet, &c. puto veriùs legendum, *leni meatu.*

Raptis

Raptis repentè armis ad cædem innoxiæ ciuitatis. Flor.habet,*raptíſue*,fortè,*raptíſque.*

Cohortes XVIII. *Lugduni*,&c. Rectè Flor. liber,*cohortem* XVIII.[am] vt Lipſius ait, habere alios quos vidit. Alibi de hoc errore monui: quia fortè ſcriptum erat, *cohortes.* 471

Solitis ibi hibernis relinqui placuit. Lege ex Flor.ac Veneto, *ſolitis ſibi hibernis.*

Addidit Valens tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. Corrige ex eodem Flor.numerum,*trecenos.* 472

Quoties pecuniæ materia deeſſet, & ſtupris & adulteriis exorabatur. A Flor. abeſt illud primũ, *et:* quod ſuperuacuum videtur,ac malè ingeminatum ex poſtrema ſyllaba antecedentis verbi,*deeſſet.* 473

Auaritia ac feſtinatio vndeuiceſimæ legionis. Clarè,ac verè legitur in Flor. *vna et viceſima.*

Rapuerunt pecuniam miſſam in ſtipendium Caſtelli. Lege ex Flor.ac Veneto, *Rapuerant.* 474

Cúmque direptis omnibus, Auenticum gentis caput iuſto agmine peteretur. Florent.habet, *dirutis omnibus:* Ven: *dirùptis.* Mihi tamen magis probatur *direptis*, vt referatur ad prædam. ſuprà enim dixit: *Plus prædæ ac ſanguinis Cæcina hauſit.*

Lætum ex Italia nuntium accipit. Deeſt hîc in Florentino folium, cuius tamen defectum ſuppleui, alterius Manuſcripti ab illo proximi collatione.Iſque hîc legit,*nuntium accepit.*

Penino ſubſignanum militem itinere, &c. Li- 475

pſius de Militia rom. lib. 2. dial. 2. de Velitibus loquens, ait, ab ijs ſecerni ſubſignanos milites. ſed quod genus militum ſubſignani fuerint, neque ipſe docet, & ego dubito. Nam legionarij non erant, vt hîc apparet: nec auxiliares, vt infrà, pag. 627. *monuit ſubſignano milite media firmare, auxilia paſsim circumfuſa ſunt.* Vnde ego nonnihil ſuſpicor, eoſdem eſſe, quos ſæpè Tacitus Vexillarios appellat: verè quidem legionarios milites, ſed ex alijs abſentibus legionibus accerſitos atque collectos, ſcilicet leuiores & expeditiores. De quibus multa dixi ad lib. 1. Annal. pag. 26.

Hibernis adhuc niuibus traduxit. Manuſcriptus ille habet: *hibernis adhuc alpibus.* quod Lipſius ait, in alijs etiam libris legi, & maximè probat, atque exemplis firmat.

476 *Vnde nulla innocentiæ cura, ſed vitæ impunitatis.* Lipſius aliter legit. at integer mihi videtur locus. Intelligo enim, *vnde*, id eſt, poſtquam priuatam gratiam præparauerit, nullam iam innocentiæ curam habet, ſed vt vita ipſius (ſcelera ſcilicet ac vitia) ſit impunita.

477 *Conſulari matrimonio innixa.* Man. idem, *ſubnixa.*

478 *Omnéſque verſæ in orientem prouinciæ, nomine eius tenebantur.* Flor. corruptè habet, *verſam in orientem.* Alter autem Manuſcriptus, *verſus orientem.* quod fortaſſe rectius.

Nam in malis temporibus partem ſe reip. fecerat.

rat. Meliorem lectionem Flor. habet: *nam & In* (emendo, *& hi,*) *malis temporibus partem ſe reip. faciunt.*

Vitandi metu; vel cognoſcendi pudore. Idem Flor. *agnoſcendi.* Rectiùs. 480

Ex ferocia, & ſucceſſu, prædæ magis quàm pugnæ intenta. Ven. *& ferocia, & ſucceſſu.*

Ibi ſanitia, hic miſeria vulnerum abſumpti. Impropria, & inepta videtur vox, *miſeria.* mihíque admodum arridet Mureti emendatio: *Ibi ſæuitia hiemis, & vi vulnerum abſumpti.*

Septimam decimam cohortem Colonia Hoſtienſi. &c. Flor. addit, *è Colonia.* 481

Et ſeueriſſimum Centurionum obtruncant. Flor. ac Venetus, *& ſeueriſſimos.* Lipſio autem non aſſentior, qui, *Seueriſſimum Centurionem,* legit, vt ſit proprium nomen interfecti.

Tumultus proximi initium, non cupidine vel odio, &c. Flor. *cupidite.* Ven. *cupiditate.* quod rectum puto. Non enim omnino idem, cupido, ac cupiditas, vt notum eſt. Legitur enim apud Nonium Marcellum, in libello veterum Grammaticorum de ſermone latino: *cupiditas, & cupido diuerſa ſunt: nam cupiditas leuior eſt.* Lucilius lib. 23. *cupiditas ex homine, cupido ex ſtulto nunquam tollitur; quòd cupiditas pars quædam ſit temperatior, defluens ex cupidine.* 483

Vt multa per Centuriones tribunoſque tantùm iuberi expediat. In Flor. legitur; *vt multa etiam Centuriones.* ſed non ideò meliùs.

484 *Muta iſta & inanima intercidere ac reparari promiſcuè poſſunt.* Aliter Florent. *Muta iſta & inania intercidere, ac reparari promiſca ſunt.* quod à Rhenano interpretatur; promiſcua ſunt vt intercidant ac reparentur: Græca conſtructione. Animaduerti etiam, & in hoc antiquo codice, & in altero priorum quinque librorum, perpetuò ſcriptum eſſe, *promiſca, promiſcus, promiſci*, &c. Quòd autem Lipſio placuit reſcribere, *inanima*, eodem ferè modo locutus eſt Plinius Paneg. ad Traianum: *muta quidem illa, & anima carentia, ſentire tamen & lætari videntur.*

486 *In numerum legionis compoſuerat.* Sequitur alterius folij defectus in Florent. Alter autem Manuſcriptus habet, *in numeros legionis.* id eſt in cohortes. quod etiam in alijs locis Lipſius correxit.

Ad obſeruandam honeſtiorum fidem inuitatus. Idem Man. fortaſſe non minus corruptè habet, *immutatus.*

487 *Tantùm pacis aduerſa pertimuere.* Cùm libri omnes veteres addant vocem, *reip. pertimuere.* fortè legendum eſt, *reſp. pertimuerat.*

488 *Sub ducibus aliis ſi bellatum foret.* Idem Man. *ſi ducibus aliis bellatum foret.* quod aptius videtur.

Sed feſtinata exactione, vſu ſterile. In eodem additur; *ſed feſtinata iampridem exactione.* Idque etiam in Veneto.

Histo-

HISTORIARVM LIB: II.

Obliuiſcendum infenſarum de bello agitantibus.Idem Mau.habet,*offenſarum*. 490

Igitur oram Achaiæ & Aſiæ,ac læua maris prætervectus.Idem,*prauectus*. 491

Conditorem templi Regem Aeriam. Optimus Flor.(iam enim folij defectum pertranſiuimus) habet,*Regem Verianum*.

Fama recentior tradit, à Cinara ſacratum templum.Idem Flor. *Cynira*. ſic paulo infrà, *Cyniradæ ſacerdos*.

Hoſtiæ, vt quiſque vouiſſet, mares diliguntur. Leue mendum ſuſtuli ex Floren. qui habet,*vouit ſ*&c. vnde ego correxi; *Hoſtiæ, vt quiſque vouit:ſed mares deliguntur*.

Soſtratus,ſacerdotis id nomen erat. Ibi eſt,*ſacerdotij*.

Ingens rerum fiducia acceſſit. Lipſius vocem, *fiducia*,reijcit, quæ mihi omnino retinenda videtur, præſertim cùm ſit in noſtro antiquiſſimo libro.Non enim intelligo,vocem illam eſſe in primo caſu, ſed in ſexto. id eſt, Titum ingentem acceſſiſſe, fiducia, ſcilicet propter fiduciam rerum ex oraculo conceptam. 492

Ob ingenium gentis,& peruicaciam ſuperſtitionis.Etiam ſi manifeſta vitia Flor.codicis mihi aliquando ſe offerant, illius tamen fides & autoritas hæſitare me cogit. In eo enim legitur,*ob ingenium montis*. quod reticere nolui.

Praua certamina communi vtilitate aboluerat. Veteres omnes habent, *aboleuerat.* & meliùs.

493 *Secluſum tutúmque ipſum mare.* Lipſius ait in Romanis editionibus legi, *ſecundum tutúmque.* quod ille probare videtur. Idemque habet etiam Flor. codex.

494 *Veſpaſianus, Mucianúſque nuper, ceteri olim mixtis conſiliis.* Suſpecta Lipſio ſunt verba illa, *ceteri olim*, quæ mihi ſenſum non ineptum habere videntur: & intelligò, *olim*, futurum tempus ſignificare; ac Tacitum loqui de ceteris, qui poſtea cauſæ & partibus Veſpaſiani acceſſere.

Vi tempeſtatum Scithinum inſulam detruſus. In Flor. ſcribitur, *Cytthnum*, ſed paulò infrà, *Scithinum.*

Et abnuentes interfici iuſſit. Idem Flor. *vel abnuentes.*

495 *Vt indefenſum & inauditum dedi ad exitium poſtularet.* Idem, *poſtularent.*

496 *Læta Othoni principia belli.* Florent. Ven. & alij veteres, voce ſunt auctiores: *Læta interim Othoni, &c.*

Quem ſiſti inter Gallias poſſe ſperauerat. Lege ex Flor. *intra Gallias.*

Sed lorica ferrea vſus, & ante ſigna pedeſter, Floren. ac Ven. addunt verbum: *ſed lorica ferrea vſus eſt.*

497 *Sed Pacenſis per licentiam militum victus.* Veriùs Flor. *vinctus.*

Nec

Nec vllis deinde tortoribus aut morte. Flor. habet, *terroribus.*

Simul à latere ſaxis vrgeret apta ad iaciendum paganorum manus. Auctior Flor. *apta ad iaciendum etiam paganorum manus.* De paganis paulo ſuprà dixit: *pars claſſicorum mixtis paganis.* atque infrà lib. 3. pag. 565. *Niſi vincitis pagani, quis alius Imperator, quæ alia caſtra excipient?* Pagani autem in bellicis expeditionibus vocabantur, ad differentiam militum; id eſt, omnes qui milites non eſſent: à pagis, vel oppidis dicti. Plin. iunior lib. 10. epiſt. 18. *apud me, & milites, & pagani, certatim ei teſtimonium retribuerunt.* Iuuenal. Sat. 16. 498

citiùs falſum producere teſtem
Contra paganum poſſis, quàm vera loquentem
Contra fortunam armati.

Digeſt. lib. 48. Tit. de pœnis L. 14. *Quædam delicta pagano, aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant; militi verò grauiorem.* Item lib. 35. Tit. 2. l. vlt. *Miles, ſi dum paganus erat fecerit teſtamentum, militiæ tempore codicillos, lex Falcidia in codicillis locum non habet, in teſtamento locum habebit.*

Ne hinc claſſis, inde equites, ſubitam formidinem inferrent. Flor. ac Ven. *inde eques.* 499

Nudus & auxilij inops, balneis interficitur. Flor. *balineis,* ita enim veteres plerunque hanc vocem ſcriptitabant.

Quem contra Placentiam tranſgreſſi. Reſtitue 500

vocem ex Flor. Ven. & alijs veteribus: *quem repentè contra Placentiam.* Deleuit Rhenanus, cùm à ſuo codice abeſſet.

Spretis centurionibus tribuniſque prouidentiam ducis laudantibus. Non temerè ſoleo gloſſematum ſuſpiciones admittere. hæc autem verba; *prouidentiam ducis laudantibus*, magis magíſque ſuſpicor, hîc perperam inculcata fuiſſe ex ijs quæ paulò infrà ſubijciuntur: *inſerentibus ſe centurionibus tribuníſque, laudare prouidentiam ducis*, &c. Nam ſi attendas, fateberis, abſurda & aliena in hoc loco eſſe. non enim erat tempus, tunc cùm milites ira fremerent, tela duci intentarent, vt centuriones ac tribuni prouidentiam ducis laudarent, imo potiùs vt eos retinere conarentur. Idque eò intentiùs ſuſpicatus ſum, cùm in Flor. codice, pro, *laudantibus*, ſit, *laudari*, vt eadem prorſus verba ex ſequentibus ſumpta videantur: nam & ibi pro, *laudare*, legitur, *laudari.* At quod Tacitus ait, ſpretos centuriones ac tribunos, caue intelligas, ſpretos dum militibus ſe opponerent: ſed interpretor, milites nihil illorum ductum moratos, ſed ipſos ſibimet itineris duces fuiſſe.

Qui pro Othone, & accitum Cæcinam clamitabant. Quod olim de proditionis voce diuinaueram, non longè abeſt à Merceri coniectura. Ille enim legit: *quin proditione accitum Cæcinam.* Ego autem: *quin proditionem, & accitum Cæcinam.* quod & à vulgata ſcriptura minus aberrat, & cum

& cum Flor. codice magis congruit, qui habet, *p Othonem.*

Laudare prouidentiam ducis. Monui ſuprà, in Flor. legi, *laudari.* quod mihi magis probatur: vt intelligẽdum ſit, non à centurionibus tribuniſq; tantùm laudari, ſed etiã ab ipſis militibus. 501

Inſita mortalibus natura, &c. Lipſius & hîc & alibi, pro, *inſita*, repoſuit, *inſito.* cuius mutationis cauſam ego ſanè non aſſequor. Intelligo enim, *inſita*, id eſt, propter inſitã mortalibus naturam. ſic ſuprà, pag. 466. *inſita mortalibus natura propere ſequi, quæ piget inchoare.* infrà, pag. 512. *Vetus ac iampridem inſita mortalibus potentiæ cupido.* 618. *inſita ignauia, & trepidis miniſtris.*

Siue ab obſeſſis dum regerunt. Suſpectum mihi eſt verbum, *regerunt*, coniectura, vt arbitror, repoſitum. Flor. enim habet: *ſiue ab obſeſſis dum reportans gerunt.* idemque aſſerit Rhenanus legi in alio vetere libro. leuiter ſuſpicor, num ſcriptum fuerit, *dum retorquerentur.* 502

Fraude illata ignis alimenta credidit, à quibuſdam vicinis coloniis. Flor. habet, *à quibuſdam & vicinis.* At Ven. *è vicinis.* quod rectum puto. id eſt, à quibuſdam hominibus è vicinis colonijs.

Inuidiæ æmulatione. Mureto aſſentior legenti; *inuidia, & æmulatione.*

Quocumque caſu acciderat. Florent. & Ven. *accidit.*

Et nox parandis operibus aſſumpta, Muretus, *abſumpta.*

Simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantéſque. lege ex Florent. ac Veneto, *culpanteſue.*

503 *Tradidere ſe abeunti Turullius Gerialis.* Flor. *Tradidere ſe ſe abeunti.*

504 *Ne nouis præſidiis firmati hoſtes.* Idem: *ne nouis ſubſidiis.*

Imminentibus viæ lucis occultos imponit. Idem, *componit.*

505 *Cum duabus vexillaribus cohortibus, & quingentis equitibus.* Lege, monente Mercero; *cum duabus auxiliaribus cohortibus.* ſic infrà, pag. 560. *auxiliares cohortes in Cremonenſem agrum miſſæ.* Licet plerumque apud Tacitum, *cohortes auxiliariæ,* dicantur. vt pag. 33. 115. 316. 654. 677. & alibi.

506 *Perculſis nullum retrò ſubſidium foret.* Repone ex veteribus libris, *& perculſis.*

Haud perinde damnum Vitellianos in metum compulit. Flor. & Ven. addunt, *Haud perinde id damnum.*

507 *Vetitis obire vigilias centurionibus, omiſſo tubæ ſono.* Lipſius de Militia rom. lib. 5. dial. 9. ait, intelligendum eſſe de initijs vigiliarum, quæ centuriones procurare ſolebant, vt ſuprà pag. 387. Itémque de tuba, qua primipili ſingulas vigilias ordiebantur. Tuba enim adhibebatur ad initia, cornu ſiue buccina ad finem. Vegetius lib. 3. cap. 8. *A tubicine omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis a cornicine reuocantur.*

Vitellius

Vitellius ventre & gula ſibi ipſi hoſtis. Flor. ha- 508
bet, *ſibi inhoſtus*. quod interpretari poſſet, *ſibi in-
honeſtus*. nam & alibi in eodem libro, pag. 384.
legitur, *pax inhoſta*, quod corrigitur *inhoneſta*.
Et ſic ſenſus eſſet, Vitellium ſua inhoneſta vita
neminem alium læſiſſe, niſi ſe ipſum. Sed cum
nimis durus dicendi modus eſſet, vulgatam po-
tius lectionem tueor: quaſi dicat, Vitellium
non fuiſſe hoſtem Reip. ſed ſibi ipſi tantùm: O-
thonem autem contrà, Reip. exitioſiorem.

Ac ne ipſorum miles ſegne otium tereret, naues 510
pari inter ſe ſpatio, &c. Meliùs diſtinguas, etiam
Florentini codicis autoritate: *aduerſus oppoſitam
gladiatorum manum, ac ne ipſorum miles ſegne
otium tereret. Naues pari*, &c. Duplex enim con-
ſilium fuit inchoandi pontis. vt ſcilicet primò
tranſitum ſimularent, ac deinde ne milites otio
langueſcerent. Poſtea deſcriptionem pontis ag-
greditur.

Niſi pollutum obſtrictúmque meritis ſuis prin- 512
cipem paſſuros. Venet. habet, *moribus ſuis*. quod
aptius videtur.

Incertus vndique clamor accurrentium, cla- 514
mantium. Vide quàm aptè dicatur, *clamor cla-
mantium.* In veteribus libris legitur, *voman-
tium*; quod alij corrigunt, *vocantium*: Ego, *voci-
tantium*: viciniore literarum lapſu.

Miſſa legatione, apud duces Vitellianos dubita- 516
tum, &c. Perſpicuum eſt, vt Lipſius ait, aut, *non*,
aut aliquid ſimile inſerendum hîc eſſe. Mihi ſic

legendum videtur: *miſſa legatio: nec apud duces Vitellianos dubitatum*, &c. Poſtquàm hæc ſcripſerim, Flor. codicem diligentiùs inſpexi, àn aliquid lucis huic loco afferret, atque inueni idipſum quod quærebam. is enim habet: *miſſa legatione. capud duces*, &c. quod prorſus coniecturam meam confirmat.

517 *Sed præmiſſi Mœſia, eandem obſtinationem*, &c. Flor. ac Ven. *è Mœſia*.

518 *Ipſe verſus à conſiliis belli.* Aptiùs ijdem libri, *auerſus*.

Quantò plus ſpei oſtenditis ſi viuere placeret, pulchrior mors erit. Voce auctior Flor. *tanto pulchrior mors erit*.

Ne tempus computaueritis, Florent. *nec tempus*.

Alij diutiùs imperium tenuerunt. Idem, *tenuerint*. quod rectius puto, cùm ſequatur, *reliquerit*.

Sed eſte ſuperſtites, nec diù moremur, &c. Muretus legit, *ſed eſtote ſuperſtites*.

Neu remorando, iram victoris aſperarent. Hoc etiam mutauit Rhenanus ex ſuo Budenſi, cùm in Flor. ac Veneto non malè legatur; *neu remanendo*.

Iuuenes auctoritate, ſenes precibus monebat. Credo, veriùs ad ſenſum legi in Florent. *mouebat*. Iam enim illos monuerat: poſtea verò auctoritate aut precibus impellebat, vt abirent.

Tum

Tum allatis pugionibus. Ven.addit, *pugionibus duobus.* & ſanè ea vox neceſſaria videtur, cùm poſtea dicat, *vtrumque.* 519

Cum vtrumque tentaſſet, alterum capiti ſubdit. Flor.ac Ven.habent; *cùm vtrumque pertentaſſet, alterum capiti ſubdidit.*

Placentiæ, aliis in caſtris celebratum id genus mortis. Reſtitue ex ijſdem libris copulam; *alijſque in caſtris.*

Vt diplomata Othonis, quæ negligebantur, lætiore nuntio reualeſcerent. Ad publicum curſum hæc pertinent, qui quidem inſtitutus fuit, vt mutatione equorum certis locis diſpoſitorum, celerrimè ex prouincijs nuncij ad Imperatorem venirent. Hic autem curſus non dabatur niſi illi qui Cæſareum diploma haberet: neque prouinciarum Præſides, niſi ex graui cauſa, diplomata concedebant. vt apparet ex Plinio iuniore, lib. 10. epiſt. 14. vbi ait: *Rex Sauromatæ ſcripſit mihi, eſſe quædam, quæ deberes quam maturiſſimè ſcire, qua ex cauſa feſtinationem tabellarij, quem ad te* (ſcilicet ad Traianum) *cum epiſtolis miſit, diplomate adiuui.* Item epiſt. 121. *Vſque in hoc tempus, domine, neque cuiquam diplomata commodaui, neque in rem vllam, niſi tuam miſi.* Horum autem diplomatum mittere ſolebant Imperatores multa exemplaria in omnes prouincias, vt ijs Præſides, quando vſus veniſſet, vterentur, adſcripto nomine illorum, quibus commodabantur. Quod ex eodem Plinio di- 521

ſces, lib. ad Traianum, epiſt. 54. *Diplomata, domine, quorum dies præterita, an omnino obſeruari, & quamdiu velis, rogo ſcribas, méque hæſitatione liberes. Vereor enim, ne in alterutram partem ignorantia lapſus, aut illicita confirmem, aut neceſſaria impediam*, ſtatimque reſcribit Traianus: *Diplomata, quorum præteritus eſt dies, in vſu eſſe non debent. ideo inter prima iniungo mihi, vt per omnes prouincias antè mittam noua diplomata, quam deſiderari poſſint*. Item epiſt. vltima, idem Traianus ait: *Diplomatibus quæ officio tuo dedi*. In libris autem iuris ciuilis, diplomata plerunque vocantur, *Euectiones*. de quibus vide lib. 12. Cod. de curſu publico l. 3. 4. 6. & ſeq.

523 *Cura belli Hordeonio Flacco permiſſa*. Cuius belli cura Flacco permittitur? Sanè contra Othonem Valens tantùm, ac Cæcina à Vitellio deſtinati: nec in eo bello vllæ Flacci huius partes. In Germania etiam plus ſuſpicionis quàm belli remanebat. Ergo vocem, *belli*, mendoſam eſſe conſtat, idque mihi Flor. codex indicauit, in quo legitur, *Curari pe Hordeonio Flacco permiſſa*. Quod corrigendum eſt; *cura ripæ*. Veriſſima lectio. Reliquerat enim Vitellius Hordeonium ad tutandam Rheni ripam, ne fortè Batauis, aut aliæ nationes ſuſpectæ, aliquid turbarent. Quod etiam apparet infrà, pag. 546. vbi ait: *Hordeonius Flaccus, ſuſpectis iam Batauis, anxius proprio bello.*

XVIII. cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum

rum numerus aderat. Flor. ac Ven. habent, *decem nouem cohortes.*

Quamuis odium Vitellius humilibus blanditiis velaret. Flor. *vernilibus blanditiis.* 524

Perlatum & paludamento opertum ſinu retinens. Copulam Flor. addit; *Perlatúmque.*

Et Vitellius credidit de perfidia, & fidem abſoluit. Credidit, id eſt, credere finxit. Falſa enim erat perfidia eorum in Othonem, vera autem fides. Ideo Vitellius fidem eorum abſoluit, quòd ſcilicet fidi erga Othonem, aduerſus ſe ipſum fuiſſent. 525

Iámque aſſertor Galliarum & deus (nomen id ſibi indiderat.) Florent. & Ven. *nam id ſibi indiderat.*

Si luxuriam temperaret, auaritiam non timeres. Credo Tacitum ſcripſiſſe: *ſi luxuria temperaret*; vt Floren. ac Ven. habent, ſic ſuprà, pag. 518. dixit, *temperare felicitati.*

Secundam veniam poſt ſcelus quærebat. Iidem libri habent, *ſeram veniam*: quod malè mutauit Rhenanus. Senſus eſt; Cùm Plautius obiecta non probaret, pœnitentia ductus, ſceleris ſui veniam quærebat: ſed ſerò ac fruſtra, cùm nihilominus Dolabella occiſus fuiſſet. 526

Galeria Imperatoris vxor, non minax triſtibus. Mendum eſſe in voce, *minax*, quiuis ſuſpicari poterit. Flor. corruptè habet, *non inmix triſtibus.* Rhenanus legit, *minis*, quod non placet. Ego corrigendum puto; *non nimia triſtibus*; id eſt, 527

non ſuperba & crudelis erga triſtes at miſeros, vt Triaria erat. Quæ vox aliàs, ni fallor, à Tacito in hoc ſenſu vſurpata eſt.

Aut ambitu ciuitatis in gaudium euicta. Nonnulli veteres libri habent, *in gaudium euecta.* quod proculdubio aptius.

Exemplo L. Arruntij, quem Tiberius Cæſar, &c. Flor. *Arruntium Tiberius.* Lege, *exemplo L. Arruntij. Eum Tiberius,* &c.

528 *Poſtquàm alpibus digreſſi ſunt.* Magis propriè corriges, *degreſſi.*

Arma ad tribunos ſuos ferebant. Florent. *deferebant.*

529 *Nunquam ita ad curas intento Vitellio, vt voluptates obliuiſceretur.* Idem Florent. *voluptatum.*

Et quidem partes modeſtè diſtinxerat. Idem, *diſtraxerat.*

Perinde miles intentus aut licentiòr. Addit verbum Florent. *aut licen̄ agit*, id eſt, *licenter agit.*

Per laſciuiam & certamen luctandi accenſis. Lege ex eodem Flor. *ad certamen.* Quod & Lipſius iudicio ſuo coniectauit.

530 *Et prima ſtatim defectione, inter inania belli aſſumptus.* Lipſius legere mallet, *inter immania belli.* Mihi autem vox, *inania*, magis placet, hoc ſenſu; Aſſumpta à Vitellio Gallorum auxilia, vt ſpeciem magni exercitus facerent, cùm reuera nihil aliud eſſet, quàm inane & inutile vulgus.

Exitia-

Exitiale id Reipublica, ingratum militi. Flor. *exitiabile.*

Hinc erupiſſe legionum agmen, hinc equites cohortos. In Flor. rectiùs, vt puto, legitur; *hinc inrupiſſe.* Nam de ipſis Vitellianis legionibus ſermo eſt, quæ in Othonianos irruperant.

Falso vera, aut maiora vero miſcebant. Magis placet Florentina lectio; *falſa, vera, aut maiora vero, miſcebant.* 531

Diſsimulatus M. Macri, tamquam Othonianarum partium ducis. Lipſius ait, veram huius appellationem eſſe, *Marcij Macri.* de quo aliàs ſuprà fit mentio, hoc eodem cognomento. Ac ferè idem annuit Flor. in quo legitur, *Marci Macri.*

Poſtquàm ſpeculatores Syria Iudeáque, &c. Adde ex Flor. ac Veneto, *è Syria Iudeáque.* 532

Sed inerat à mole belli plerunque contatio. Corruptum eſt verbum, *inerat*, quod tamen ex Florent. facillimè emendabimus. In eo enim legitur: *ſed iniant a mole belli:* corrige ergo: *Sed in tanta mole belli.* Idque clarè habet alter Manuſcriptus.

Quis ille dies foret, quo LX. *ætatis annos, & duos filios,* &c. Mihi videtur legendum: *quo, ſexageſimo ætatis anno, ſe, & duos filios,* &c.

Splendidior origine quam nos ſumus. Florent. corruptè habet, *ſplendiorj*. fortè, *ſplendidiori*: ſed neque ſic eſſet vulgata lectione meliùs. 533

534 *Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, ſed præpropera ipſius deſperatione victum, iam deſiderabilem & magnum principem fecit.* Si integer ſit hic locus, quod certè non auſim affirmare, videtur ſenſus: Poſtquàm Mucianus, vt facilem belli exitum Veſpaſiano oſtenderet, dixiſſet, nullas eſſe in Vitellio virtutes; ſequitur illum ignauia ac vitijs ſuis effeciſſe, vt iam Otho princeps deſideraretur, ac magnus præ Vitellio haberetur: qui quidem Otho, non ipſius Vitellij arte ac viribus, ſed ſua deſperatione victus fuerit. Conſtruitur autem ſic: Vitellius fecit iam deſiderabilem, & magnum principem, Othonem; non quidem victum ducis arte, aut exercitus vi, ſed præpropera ipſius deſperatione. Ad hæc Mucianus vires Vitellij extenuans, addit, legiones ab illo ſparſas, cohortes exarmatas, & quæ ſequuntur.

Diſcrimen ac periculum ex æquo partiemur. Flor. habet, *diſcrimen ac pericula.*

Aperiet & recludet contecta victricium partium & tumeſcentia vulnera. In eodem libro hæc tranſpoſitione aliqua leguntur, id eſt, *contecta & tumeſcentia victricium partium volnera.* Moneo etiam, ibi ſemper ſcriptum eſſe, *volnus*, &, *volnera*; *volgus*; *volgatus*; *voltus.* & ſimilia.

Nec mihi maior in tua vigilantia, parſimonia, ſapientia, fiducia eſt. Vocem parſimoniæ Lipſius arguit, tamquam non digna, quæ inter princi-

pes

pes & illuſtres virtutes connumeretur, aut quæ ad imperium adipiſcendum vllo adiumentò eſſe poſſit. Quod licet non ſine probabili ratione ab eo dictum ſit, mihi tamen videtur, Mucianum non temerè inter alias virtutes, etiam Veſpaſiani parſimoniam laudare, atque in ea victoriæ fiduciam reponere: cùm belli neruos pecuniam eſſe conſtet, vt inferiùs dixit; ac ſi ea prodigeretur, vt à Vitellio fiebat, fruſtrà in alijs virtutibus, atque in cetero bellico paratu ſpes relinquebatur.

Nam qui deliberant, deſciuerunt. Similem ſententiam dixit Tacitus in Agricolæ vitâ, pag. 726. *Iam ipſos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porrò in eiuſmodi conſilijs periculoſius eſſe deprehendi, quàm audere.*

Recurſabant animo vetera omnia. Ità vulgati omnes, & malè. Reſtitue ergo ex Flor. codice, *vetera omina.* Nam etiam paulo infrà dixit; *impleſſe fidem ominis videbantur.* 535

Pauci milites ſolito aſſiſtunt ordine, vt legatum ſalutaturi, Imperatorem ſalutauerunt. Flor. habet, *ſolito aſſiſtent* (legerim, *aſſiſtentes*) *ordine, vt legatum ſalutaturi, Imperatorem ſalutauere.* 536

Iam idipſum opperiens Mucianus. Flor. *Namque idipſum.*

Donatiua militi, neque Mucianus prima concione, &c. Malim, *Donatiuum*, vt etiam Rhenano placuit. atque idem voluiſſe videtur Floren. qui habet, *Donatiuom.* 537

539 *Ad obtinendas iniquitates haud perinde obſti-nato.* Si corruptus eſt locus, vt Lipſius ſuſpicatur; Floren. nihil iuuat, niſi quòd in eo legitur, *obſti-nante.*

Largitus priuatim, quod auidiùs de republica ſumeret. Flor. habet, *largus priuatim*, quod mihi ſpernendum non videtur. ſed poſtea malim legere; *quò auidiùs.*

Illyrici exercitus ſtudio in partes. Flor. ac Ven. verbo ſunt auctiores: *ſtudio tranſgreſſi in partes:* quod Rhenanus ſuſtulit. Ego potiùs ita corrigerem ac diſtinguerem: *Illyrici exercitus ſtudio. Tranſgreſſa in partes tertia legio*, &c.

Proturbatis qui de Othone nuntiabant. id eſt, qui mortem Othonis nuntiabant.

In eo metu Aponius Saturninus, &c. Corrige ex Flor. *In eo motu.*

540 *Senatorium ordinem reciperauerat, præpoſitus à Galba*, &c. Meliùs mihi videtur diſtinguendum: *reciperauerat. Præpoſitus a Galba ſeptimæ legioni, ſcriptitaſſe*, &c.

Titus Flauianus Pannoniam. Addit Flor. *Titus Amplius Fauianus.* Rectè ergo legas, litera tranſpoſita; *Titus Ampius Flauianus.* Nam idem liber infrà, pag 552. ſic eum nominat.

Igitur mouere & quatere quicquid vſquam ægrum foret aggreditur. Omnino legendum puto, *aggrediuntur*, vt eſt in Florent. codice, atque etiam in Veneto. Caue enim hæc ad Cornelium Fuſcum referas, ſed ad Veſpa-

ſianum,

ſianum, ceteroſque ſuarum partium duces.

Et effuſa plebs totis ſe caſtris miſcuerat. Ferè ſemper ſcribitur in Flor. *plebes*, priſco more. 541

Incurioſos milites, vernacula vrbanitate, quidam ſpoliauere. Idẽ Flor. ac Ven. addunt hîc verbum; *vernacula vtebantur vrbanitate.* Quod certè ego non ſpernerem, cùm ab antiquiſſimo codice confirmetur. Potiùs ſuſpicor, corruptum eſſe illud, *Incurioſos.* ac niſi legere placeat; *in incurioſos*; corrigi ſaltem poteſt, *in otioſos milites vernacula vtebantur vrbanitate, quidam ſpoliauere*, &c. Plebeij ſcilicet, partim ſcurrilibus ac mordacibus dicterijs in milites vtebantur, partim illos ſpoliabant.

Abnuentique nomen Auguſti expreſſere vt aſſumeret, tam fruſtrà, quàm recuſauerat. Auguſti nomen fœlix fauſtúmque erat, atque vt bonum aliquod omen Imperatoribus à populo romano tribuebatur. Vitellio autem parùm conueniens fuit, cùm infœlicem exitum breui ſortitus eſſet. Fruſtrà ergo illi tributus, ab eóque aſſumptus, quia nihil ei profuit: fruſtra recuſauerat, quia aſſumpſit. 542

Aliis id ipſum placebat, quod non ex præpotentibus, &c. Corrige Flor. codicis autoritate: *quòd neminem ex præpotentibus.* 543

P. Sabinum, ac præfecturæ cohortis, &c. Mercerus emendat, *P. Sabinum à præfectura cohortis.* id eſt, qui antea præfectus cohortis fuerat. Atque oſtendit, hunc P. Sabinum, alium eſſe à Fla-

uio Sabino Veſpaſiani fratre; quod Lipſio cauſam erroris dederat. Congruit etiam hæc Merceri emendatio cum Floren. codice, qui habet: *Publium Sabinum ad præfectura cohortis.*

Iulium Priſcum dum centurio eſſet. Flor. habet, *dum centurioē.* quod mihi ſuadet, vt Lipſio aſſentiar, legenti; *tum centurionem.*

544 *Quamquam id omnino ſeruilia ingenia corrumpebant.* Meliùs in Florent. legitur, *omnimodo.*

545 *Super inſitam animo ignauiam.* Corruptam vocem addit codex Flor. *inſitam morte animo.* Vnde diuinabam, an legendum eſſet: *ſuper inſitam inerti animo ignauiam.* ſed non placet. Alij cogitent.

Faces Auguſtales ſubdidere. Florent. *facem Auguſtales.*

547 *Mare quoque Eteſiæ flabant. harum flatu,* &c. Licet hic locus in Flor. vt in aliјs veteribus libris, corruptè legatur, tamen veram lectionem inde erui poſſe videtur, dummodo nulla ſit de gloſſemate ſuſpicio. Is enim habet: *Mare quoque et Eſi flabra Aquilonis. arum flatu.* &c. Quod ego ſic reſtituerem: *Mari quoque Eteſiæ, flabra Aquilonis. harum flatu,* &c. Nam ſubintelligitur, nuntios, mari quoque, ab Eteſiјs retineri.

548 *Vt impar ad Vitellium, gratiam, vireſque apud nouum principem pararet.* Reſtitue ex Floren. ac Venet. aliiſque veteribus, *vt impar apud Vitellium.*

Mox

Mox vexillarij quartadecimæ, & ſextadecimæ legionum. Mendoſum eſſe hunc locum ſuſpicor: nam aliquid à vulgatis variat codex Flor. qui habet: *Mox vexilla in quatuordecim* XIII. *legionum.* Conſidero etiam id quod poſtea dicit: *dein quinta & duodeuiceſima ſecutæ.* quod infert, alias legiones præmiſſas fuiſſe, & tamen nullæ apparent: vt potiùs dicere oportuerit; *dein quinta & duodeuiceſima legiones ſecutæ.* Et cùm vexillarij plerunque ad millia cenſeantur, vt Mercerus monuit ad pag. 505. leuiter dubitaui, num ex Flor. legendum ſit: *& ex vexillariis quatuordecim millia. Legionum dein quinta,* &c. Fortè ſcriptum in veteribus erat, mill. quod pro XIII. ſumptum fuit. Nec nimis magnus vexillariorum numerus videatur, cùm & ſuprà, pag. 538. appareat, Mucianum tredecim millia habuiſſe. Hanc tamen coniecturam ego ipſe nihili facio.

Dein quinta & duodeuiceſima ſecutæ. Corrigendum eſt ex Flor. *duo & viceſima.*

Æmulatione inuidiáque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur. Additum eſt in Flor. ac Ven. *æmulatione etiam inuidiaque.* 549

HISTORIARVM LIB. III.

EOque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ *ſocius.* Non temerè ſcriptum eſſe arbitror in Flor. codice: *eóque grauior militibus erat;* ac ſu- 552

ſpicor ita ſcripſiſſe Tacitum. quaſi dicat, verba & geſta Antonij, pondus aliquod & grauitatem, ſiue auctoritatem præſetuliſſe apud milites. Idem ferè ait infrà, pag. 576. *eò grauior auctor, quòd Paulino patria Forum Iulij.*

Ceterùm vt tranſmitteret in Italiam impunè, & eo vſui foret. Hæc quomodocumque meliùs in Flor. leguntur ſic: *Ceterùm vt tranſmittere in Italiam, impunẽ* (lego, *impunè,*) *& vſui foret,* id eſt, vt tranſmiſſio impunè fieret, & vſui eſſet.

553 *Scriptum Aponio, ſocium reuireſcere crederet.* Codicis Flor. lectio eſt: *ſcriptum Aponio ſatium reuireſcere crederentur.* Manifeſtiſſima paginæ tranſpoſitio, vt optimè obſeruauit Lipſius. Conſtat enim, illud, *ſatium,* finem vnius paginæ fuiſſe; ac verba quæ inferiùs ſequuntur, *innocuum exercitum Mœſicum,* principium alterius: Ideoque legendum eſſe: *ſcriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Mœſico celeraret.* Quod in Floren. clarius etiam apparet, apud quem locus ille legitur: *in Vitellium vt inimici, ninocum exercitum Mœſico celeraret.* Quod ad reliquum huius tráſpoſitionis attinet, ad Lipſium lectores delego, nam mihi ſatis fuit, antiqui Codicis noſtri lucem afferre.

Poſſeſſa in ipſo tranſitu Vicentia. Rectiùs Flor. *Vicetia.*

Et interceptus exercitus per Rhætiam Iuliaſque Alpes. In eodem Flor. legitur: *& intertectus exercitus ꝑtiam Iuliaſque Alpes.* Quod Lipſij correctionem

ctionem aliquantulum adiuuat, legentis: *& interiectus exercitus, Rhæticas Iuliasque Alpes. ne peruium,* &c.

De exitu ſecuri, Vitellium vt inimici, Flor. *de exercitu ſecuri, in Vitellium vt inimici.* 554

At ne inermes prouinciæ barbaris nationibus exponerentur. lege ex Flor. *Ac ne inermes.*

Ac maiore ex diuerſo mercede, ius faſque exuerent. Idem Flor. habet, *aut maiore.*

Et gens fideicommiſſa patientior: oppoſita in latus, &c. Flor. *commiſſior patientior. poſita in latus,* &c. pro, *patientior,* ego legerem, *patiens,* vt ſyllaba, *or,* conuertatur in, *óp,* ad verbum, *poſita,* pertinens. Illud autem, *commiſſior,* emendare, non eſt meæ opis. fortè, *gens fida, & commiſſorum patiens.* Sententia mallet, *& laborum patiens;* vel, *atque onerum patiens.* aut aliquid ſimile.

Sextilius Felix cum ala Tauriana. Flor. *cum ala Auriana.*

Nunc illis aut his prœlium tentantibus. Corrige ex Flor. *Nec his aut illis prœlium tentantibus.* Idemque in Veneto legitur. 555

Occupantes Aquileiæ proxima quæque. Floren. *occupata Aquilea, proxima quæque,* &c. Nihilominus remanet locus in mendo.

Alam, cui Scriboniana nomen. Idẽ, *Seboniana.*

Luce prima inermes pleroſque oppreſſere. Idem, *inermos.* Sic lib. 1. Annal. pag. 5. *quem ignarum inermúmque, quamuis firmatus animo Centurio, ægrè confecit.*

Vulgata victoria, poſt principia belli. Abeſt illud, *poſt*, à Flor. Quod confirmare videtur lectionem Rhenani; id eſt, *principio belli*: ídque Lipſius probat. Tamen in eo codice ſcriptum eſt, *p'rincipia*, vt litera, *p*, vtrique dictioni inſeruire videatur, nam ſæpiſſimè in eodem libro inuenias, *p'*, pro, *poſt*.

Quia audacius quàm ciuili bello imperitabat. Congruit noſter cum Vat. codice, qui habet, *adductiùs*. De qua voce vide, ſi libet, plura apud Lipſium.

556 *Decorum pro cauſa ratus, ſi placeret Galbæ principatus.* Flor. *placere.* Vide etiam quæ de his paginis tranſpoſitis tradit ingenioſè Ioſias Mercerus.

Obturbabatur militum vocibus Aponius. Imo legendum eſt, *Aponianus*, qui paulo infrà iterum inter tumultus ſedatores nominatur. Nam Aponius inter præcipuos erat, in quos ira militum incubuerat.

557 *Et aliquo militari honore inſignem.* Reſtitue ex Flor. *& aliquo militari decore.*

Sua quiſque in tentoria dilaberetur. Nec malè Flor. *dilaberentur.*

Quippe Mœſici adiutam à ſe Pannoniorum vltionem. Auctior hic Flor. *Quippe Mœſicæ legiones adiutam a ſe Pannonicorum*, &c.

Nec tam Primus, Aponianus, & Meſſalla. Idem addit copulam, *& Aponianus, & Meſſalla.*

Et obuerſis militum ſtudiis. Flor. *militibus*. fortè, *militaribus*.

Cornelium Fuſcum præfectum ſibi deſtinat, qui properè accurrit. Idem, *adcucurrit*. 558

Baſſus honorata cuſtodia, Liburnicis nauibus, &c. An cuſtodia peruectus tamquam captiuus? Caue credas. Intelligo, Liburnicarum cuſtodiam à ſe ipſo aſſumptam, honoris & ſecuritatis cauſa. Vinctum deinde à Memmio, fortaſſe defectionis ignaro, & adhuc Vitellianum eſſe Baſſum credente.

Hadriam prouectus. Floren. ac Ven. *peruectus*. quod mutauit Rhenanus. Noſter etiam habet, *Atriam*.

Secreta caſtrorum affectans. Flor. *ſecretorum*. legendum puto, *ſecretum*.

Spoliare, capere, arma equos abripere. Reſtituenda eſt copula ex Flor. ac Ven. *arma equoſque abripere*. 561

Exciti proſpero clamore. Addit Florent. *&* *exciti*.

Fortè victi, haud perinde rebus proſperis ducem deſiderauerant, &c. Mutilus locus Lipſio videtur, nec mihi omnino integer. Tamē huiuſmodi poteſt eſſe ſenſus. Cùm has duas legiones, aduerſa ſuorum fortuna conſternatas, neque feſſos hoſtes aggredi auſas fuiſſe oſtendiſſet; rationem ſubijcit Tacitus, ſcilicet: fortè cùm ſe ſuoſque victos viderent, nihil vltrà profici poſſe

ſperabant, ſine duce, quem tunc demum ſibi deeſſe intelligebant.

Quos militiæ gloria legionariis, quamquam raptim ductos, æquabat. Si verba illa, *quamquam raptim ductos*, attentiùs introſpicias, fateberis, nihil ea ad gloriam pertinere, imo ad corporis vires. Quid enim aut detrahere poteſt militari gloriæ iam partæ, properatum iter; aut proficere, ſi quamlibet otioſè ducti fuiſſent? Potiùs dicere oportuerat, *militiæ aſſuetudine*; aut, *exercitatione*, aut aliud ſimile. Itaque cùm ea vox, *gloria*, à Flor. codice abſit, atque etiam ab alijs veteribus, vt teſtatur Rhenanus, ego tamquam adítitiam & adulterinam reijciendam cenſeo, ac legendum : *quos militibus legionariis, quamquam raptim ductos, æquabat.* ſcilicet, ipſe Vipſanius, viribus, ac laborum tollerantia, pares illos reddiderat, æquabatque legionarijs militibus. Fortè ortus eſt error ex conciſa ſyllaba huius dictionis, *militib'*, quomodo in antiquis libris plerúnque ſcriptitare ſolebant, adeo vt facilè pro, *militia*, ſumpta fuerit.

Quibus tam anceps belli fortuna, &c. Lege ex Flor. *anceps prœlij fortuna.* vt in alijs etiam libris Lipſius inuenit.

562 *An operibus & vineis aggredienda vrbs foret?* Fœdum gloſſema in contextu Flor. codicis irrepſit, quod ab ipſo librario fortaſſe agnitum fuit, ideoque circumſcriptum atque hîc libet illud

lud adſcribere. *an operibus & vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum) aggredienda vrbs foret?*

Num ſecures, dolabras, & cetera expugnandis vrbibus. Reſtituenda copula ex Florent. *dolabráſque.*

Siſtere tertiam legionem in ipſo via Poſtumia aggere iubet. Flor. ac Ven. habent, *tertiamdecimam.* quod verum cenſeo. Nam ſuprà, pag. 555. de eadem fit mentio, quæ tertiadecima Gemina appellatur, & cum ſeptima Galbiana coniungitur, Pannonicæque legiones erant, vt apparet pag. 539. Atque has duas ſimul collocatas fuiſſe, colligitur etiam ex eo quod ait pag. 565. *cur reſumpſiſſent arma, Pannonicas legiones interrogabat.* Ergo vbi poſtea ſequitur: *mox tertiadecima denſis arbuſtis interſepta*; ſuſpicor legendum eſſe, *tertia*, quæ inter Veſpaſiani legiones ſæpè recenſetur, & ſuprà, & infrà. 563

Indigus rectoris, vacuus conſilij. Florent. *inops conſilij.*

Paratis iamque diſpoſitis Flauianis impingitur. Flor. ac Ven. *paratis iam, diſpoſitiſque.*

Cum vexillis nona, ſecundáque, & viceſima Britannicarum legionum. Quod alibi ſæpiùs vexillarios, hîc vexilla dixit. ſuprà enim, pag. 548. de ijſdem militibus fit mentio his verbis: *poſtremo agmine vna & viceſima Rapax, & prima Italica inceſſit, cum vexillariis trium Britanni-* 564

carum legionum, & electis auxiliis. Sic etiam pag. 504. *Tertiadecima legionis vexillum quatuor auxiliorum cohortes, & quingenti equites, in ſiniſtro locantur.* quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Tertiædecimæ legionis vexillarij. Vide quæ de vexillarijs ſcripſi ad lib. 1. Annal. pag. 26.

Crebris interrogationibus notum pugnæ ſignum. Hoc ſignum propriè Teſſera vocabatur; quæ in vno aut altero verbo ſub ipſam pugnam ab Imperatore dabatur, vt eo ſymbolo commilitones inter ſe noſcerent, & item hoſtem. vt explicat Lipſius de Militia rom. lib. 4. dial. vltimo: quod huc, commoditatis cauſa, libuit tranſferre. Thucyd. lib. 7. in pugna inter Siracuſios & Athenienſes: *Crebris interrogationibus ſigni utentes, ſibi ipſis tumultum crearunt, omnes ſimul interrogantes, & hoſtibus notum id fecerunt.* Remedium huic rei Poliænus lib. 1. inter ſtrategemata recenſet, quòd Acues quidam dux Arcadum, ſuis militibus ſignum dedit, interficere eos qui ſignum interrogaſſent. Ad hanc Teſſeram refert Lipſius poſtremum illud ſignum, de quo Cæſar libr. 2. de bello gall. in pugna cum Neruijs: *Cæſari omnia vno tempore erant agenda; vexillum proponendum; quod erat inſigne, quum ad arma concurri oporteret; ſignum tuba dandum, acies inſtruenda, milites cohortandi, ſignum dandum.* Hirtius de bello Afr. *Cæſar ſigno fœlicitatis dato, equo admiſſo, in hoſtem ire contendit.* Vegetius lib. 3. cap. 5. *Vocalia ſigna dicuntur, quæ voce*

humana

humana pronunciantur: ſicut in vigil is, vel in prœlio, pro ſigno dicitur, vtputa Victoria, Palma, Virtus, Deus nobiſcum, Triumphus Imperatoris, & alia quæcumque voluerit dare is qui in exercitu habet maximam poteſtatem.

L *Ipſam Aquilam Atilius Verus primipili Centurio*, &c. Primopilus enim Aquilæ præerat, vt ait Vegetius lib. 2. cap. 8. & in acie ſignifero ſuo adſiſtebat, Aquilamque tuebatur. De primopilo vide latius Lipſium de Militia rom. libr. 2. dial. 8.

Vagus inde conſilio ducis ſubditus rumor. Amplectitur Lipſius Romani codicis additionem, id eſt, *Vagus inde, an conſilio ducis*, &c. Proculdubio verum, nam idipſum habet etiam Florent. 565

Precabatur piatos patris manes, néue ſe vt parricidam aduerſarentur. Aliquid huic loco, aut deeſſe, aut ſupereſſe ſuſpicor. nam quòd ait, *néue ſe*; aut illud, *ne*, abundat, aut aliud, *ne*, præcedens requiritur. In altero Manuſcripto legitur, *ne piatos*: quod ſatis non facit. In Flor. deinde eſt, *auerſarentur*. & rectè ſic ſuprà, pag. 20. *ſua facinora auerſari deos lamentantur*. Notaui etiam ad pag. 455. & 668. 566

Multa cum ſtrage inceſſerat cuntatio. Damnat Lipſius illam cunctationis vocem, cùm ardor vbique & feruens opus appareat; atque illius vice legit, *tentatio*. Ego contrà aio, optimè ſe habere: *cunctatio*, Flauiani enim poſt multam 567

ſtragem in eos à Vitellianis editam, ac iam feſſi & cõſternati, cunctari incœperant. quod clarè oſtendunt verba, quæ ſtatim ſequuntur: *feſſo militi, & velut irritas adhortationes abnuenti.* ac paulo poſt: *Non iam ſanguis neque vulnera morabantur.* Scilicet, vt antea morata fuerunt. Sed meliùs cum Flor. diſtinguendus eſt hic locus: *proſternerent multa cum ſtrage. Inceſſerat cunctatio, ni duces,* &c.

568 *Is in vallum egreſſus, deturbatis qui reſiſterent.* Florent. *reſiſterant.* Rectiùs Venetus, *reſtiterant.*

Iam legiones in teſtudinem glomerantur. Lege ex Floren. *glomerabantur.* Ait enim poſtea, *incutiebant.*

Cùm languere paulatim Vitellianorum animi. Ex eodem Flor. legas, *langueſcere.*

569 *Aſpernantem tumentémque lacrymis fatigant, extremum malorum.* An lacrymas vocat extremum malorum? vix credam, neq; conſtructionis ordo conſtaret. Meliùs fortaiſſe olim diſtinxi. *Aſpernantem, tumentémque, lacrymis fatigant. Extremum malorum, tot fortiſſimi viri,* &c. eandemque diſtinctionem præſeferre videtur etiam Floren. codex. Vt malorum extremum intelligat, fortes viros, proditoris opem inuocare coactos eſſe.

570 *Eadem rurſus belli ſedes.* Copulam addunt Flor. ac Ven. *eademque rurſus.*

Is balneas abluendo cruori properè petit. In Flor. ſcri-

ſcribitur, *balineas.* Idemque infrà, pag. 602. *balinea.*

Et ſi qua alia vis per alpes rueret. Non à Rhenano ſolùm eſt verbum, *rueret*, vt ait Lipſius, ſed & à Flor. confirmatur. 571

Vbere agri annexu, connubiiſque gentium. Diſtingue meliùs ex Flor. *Vbere agri, annexu connubiiſque gentium.* ſic Virg. 1. Æn.

> *Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.*

A propinquis affinibúſque occultè redimebantur. Flor. habet, *redemptabantur.*

Non in ore vulgi agere, ſed vmbraculis hortorum abditus. Ita Lipſius ex coniectura emendauit, cùm antea, *more vulgi*, legeretur. atque ipſius coniectura à Flor. codice confirmatur. 572

P. Sabinum prætorij præfectum. Dubitat Lipſius de hoc Sabini prænomine, quod nũquam fuiſſe ait in Flauia gente. At Mercerus in notis ſuis tradidit, rectè monuiſſe Sauillum Anglum, non eſſe hunc Sabinum, qui præfectus vrbi, & Veſpaſiani frater, ſed alium ex alia gente. vt ego alibi dixi ſuprà, ad pag. 543.

Magno cum irriſu accipientis tribuentiſque. Aliter Flor. *tradentis accipientiſque.*

Qua (ipſa enim verba referam) ſe pauiſſe oculos, &c. Modica tranſpoſitio eſt in Flor. *qua ſe (ipſa enim verba referam) pauiſſe*, &c. 574

Apud auidos periculorum, & decoris ſecuros. Ita Rhenanus correxit, cùm in veteribus libris, 575

& præſertim in Flor. legatur, *dedecoris*. Quam vocem ego ſanè anteferrem, ac ſuo loco reſtituerem. nam ſimile videtur, quod ſuprà pag. 565. dixit; *ignominiam conſumpſiſtis*.

Gallias, & Germaniæ gentes, nouúmque bellum cieret. Quod de Vat. Codice ait Lipſius, idem addit Flor. id eſt, *Gallias, & exercitus, & Germaniæ gentes*.

Cuius ſacramentum, cunctis circà hoſtilibus, non exuerat. Veriùs puto in Florent. legi, *nondum exuerat*. innuens, ipſum quoque poſtea exuiſſe.

Simul ceterorum fides metu intacta. Idem Flor. habet, *inracta*. Quod ſi corrigatur, *infracta*, vt ego cenſeo, locus fortaſſe integer reddetur, vt ſit, infracta, pro labefacta. ſuprà, pag. 301. dixit; *infracta paulatim potentia matris*. 503. *infracta partium fama*. infrà, 644. *infracta tributa*.

578 *Is fuit Anicetus Polemonis Libertus, præpotens olim*. Ingeminat Florent. *præpotens libertus olim*. Quod ego certè retinerem, cùm repetitio illa maiorem expreſſionis vim habere videatur, velut cum ſtomaco dictum.

Trapezuntem vetuſtam admodum ciuitatem. Suſpectum vitij eſt illud, *admodum*, neque Cornelianam phraſim olet. Flor. habet; *vetuſta mama ciuitatem*. Vnde ego diuinabam, an corrigendum eſſet; *vetuſtam Aſiæ ciuitatem*.

Vagum hoſtem adortus, cogit in naues. Florent. *coegit*.

Tamquam

Tamquam maiora meritum, quàm quæ ſtatim exoluerent. Meliùs ex Florent. legas, *exoluerentur.* 580

Et certiora de Muciano ſperabantur. Idem Flor. *ex Muciano.* 581

Nuper ab Veſpaſiano in Senatorum ordinem additum. Reſcribe ex eodem Flor. *in Senatorium ordinem.*

Et Muciano volentia ſcripſere. Idem habet, *reſcripſere.*

Immodicus linguæ, & obſequij inſolens. Corrige ex Flor. ac Veneto, *immodicus lingua.* Sic ſuprà, pag. 585 *promiſſis largus & immodicus.* infrà, 742. *cultu modicus.*

Perpulit, ad vires hoſtium ſpectandas. Flor. addit, *perpulit, vt ad vires hoſtium,* &c. 582

Falſa ſpecie, exercitus & legiones appellat. Idem, *exercitum.* 585

Mox conterriti mæſtiue diſcrimine. Corrupta ſunt hæc, ni fallor: ac fortaſſe veram lectionem Flor. oſtendit. Is enim habet; *contempti meſtine diſcrimine.* ex quo ego legendum puto: *contemptim, & ſine diſcrimine.*

Donec Vitellius pudore irriti conatus, quæ non dabantur, omiſit. Idem Florent. ac Venet. *remiſit.* 586

Ereptus Samnis, Pelignúſque, & Marſi, æmulatione, &c. Meliùs in Flor. legitur, *Erectus.* Nam verbum, *eripere,* vim denotat; at hîc potiùs ap-

paret, ſpontè hos populos ad Veſpaſianum de-
feciſſe, Campanorum æmulatione.

588 *Fonteium Capitonem in proditionem corruptum.* Verba illa, *in proditionem*, abſunt à Flor. à Veneto, & à Rhenani codicibus, ac ſuperuacua videntur. ergo gloſſema fuiſſe cenſeo, ac tollenda.

Vt ad prœlium intentus armatúſque. Quod Lipſius ex Regio codice emendauit, *ornatúſque*, legitur etiam in Floren. Adde locum Cæſaris de bello Gall. lib. 3. *Naues eorum paratiſſimæ, atque omni genere armorum ornatiſſimæ.*

589 *De numero ſeruorum, electione lictorum loqui.* Verè correxit Lipſius ex ingenio; *electione litorum*: nam idem habet Flor.

591 *Interclusum alterum iter, idque ſolum, quod in ſacram viam pergeret, patebat.* Flor. *interclauſum aliud iter.* Rectè. nam plura itinera quàm duo fuiſſe credendum eſt, idq; etiam verba ſequentia indicant.

592 *Arcem Capitolij inſedit milite, & quibuſdam Senatorum Equitúmque.* Addita voce legitur in Flor. *Arcem Capitolij inſedit, mixto milite, & quibuſdam*, &c. Quam vocem à Lipſio exturbatam ego certè retinendam cenſeo, cùm ab optimæ notæ codice confirmetur. Appellat enim militem mixtum, id eſt, minimè purum & ſolum, ſed repletum ex plebe, quæ Sabinum ſequebatur, atque ex ſeruitijs ipſius, ac ceterorum nobilium qui cum eo erant. Caue intelli-

gas

gas militem mixtum ex Senatoribus Equitibúſque.

At Sabinus miſſo per neglecta ad Flauianos duces nuntio. Deſunt in Flor. codice ea verba, *At Sabinus.* & certè ſuperuacanea videntur, cùm de eodem Sabino ſit ſermo.

Qui circumſideri ipſos, niſi ſubueniretur, artas res nuntiaret. Copula quædam omnino deeſt, vt perficiatur ſententia. Duo enim nuntianda erant: ipſos circumſideri: atque artas res, niſi ſubueniretur. Floren. habet: *ipſo ſcl ni ſubueniretur.* Corrige ergo; *qui circumſideri ipſos, & ni ſubueniretur, artas res nuntiaret.*

Iret obuiam legionibus, de ſumma rerum illic 593
certaret. Repone ex Flor. *& de ſumma rerum.*

Porticus in latere cliui, dextra ſubeuntibus. In- 594
nuit Lipſius, legendum ſibi videri, *dextræ.* atque idipſum habent Flor. ac Ven.

Saxis tegulíſque Vitellianos deturbabant. Aliter Flor. *Vitellianos obruebant.*

Traxere flammam aluerúntque. Idem, *traxerunt.*

Quibus armorum cauſis, quo tanta cladis pretio 595
pro patria bellauimus? Cùm libri omnes veteres addant verbum, *ſtetit*, quod à Rhenano ſublatum fuit; mihi videtur leuiſſima mutatione non incommodum ſenſum ex hoc loco erui poſſe. Sic igitur legerem, ac diſtinguerem. *Quibus armorum cauſis? quo tanta clades pretio ſtetit? pro patria bellauimus?* Quaſi dicat: ſi pro defenſione

patriæ incenſum Capitolium fuiſſet, præſertim ab ipſis obſeſſis ad hoſtes arcendos, aliquod pretium fuiſſet, ac magis excuſabile: nunc autem non pro patria bellauimus, ſed ciues contra ciues.

Lutatij Catuli nomen inter tanta Cæſarum opera. Flor. *inter tot Cæſarum opera.*

Ex diuerſo trepidus miles. Idem, *trepidi milites.*

596 *Flauium Sabinum inermem, neque fugam cœptantem*, &c. Suſpicor legendum; *neque fugam temptantem*, vel potiùs, *captantem.*

Turbæ ſacricolarum immixtus ignarúſque. Vocem, *ignarúſq;*, ex Vat. codice repoſuit Lipſius, cùm in ceteris legeretur, *ignoratúſque.* Quam vocem ego quidem non improbo. Tamen cùm Flor. habeat, *ignoratúſque*, ac Tacito ſit aliàs vſitatum, nulla cauſa eſt immutandi. Sic infrà, pag. 630. *Eadem in Voculam parabantur, niſi ſeruili habitu per tenebras ignoratus euaſiſſet,*

598 *Reliquas in litore captas, aut nimio ruentium onere preſſas, mare hauſit.* Cùm Flor. habeat, *capta*; legendum videtur, *reliqua in litore capta.* Ita etiam eſt in Veneto codice, ac ſuadet Lipſius.

599 *Vel dum tegeret inuidiam, crimen meruit.* Cùm in Flor. ſcriptum ſit, *regeret*; ego legendum puto, *regerit.* Conabatur enim Antonius inuidiam rerum à ſe male geſtarum in Mucianum transfer-

transferre, qui epiſtolis ſuis victoriam ſemper
moratus eſſet.

Vitelliani ad ſerum vſque diei, ſaxis piliſque 601
ſubeuntes arcebant. Florent. *ad ſerum vſque diem.*

*Quoties pars altera inclinaſſet, abditos in taber-
nis,* &c. Ita emendauit Lipſius, cùm vulgò malè
legeretur, *abditi.* At Flor. ac Ven. eándem vo-
cem, *abditos*, habent.

*Aut ſi quam in domum perfugerant, erui iugu-
larique poſtulantes.* Iidem libri habent, *expoſtu-
lantes.*

Exultabant nulla partium cura, malis publicis 602
læti. Florent. Ven. atque alij veteres addunt, *ex-
ultabant, fruebantur, nulla,* &c. Quod vtrumque
apud me tolleratur. Refero enim ad id quod ſu-
prà dixit, ne minimo quidem temporis volupta-
tes intermiſſas fuiſſe. Ideo hîc ait, exultabant,
ac fruebantur, ſcilicet voluptatibus, gaude-
bantque.

Septimum & quinquageſimum ætatis annum 603
explebat. Et hîc in Ven. alijſque veteribus addi-
tur; *Nam ſeptimum:* fortè legendum; *Iam ſe-
ptimum.*

Reip. haud dubiè intererat Vitellium vinci. 604
Vox, *Reipublicæ*, quam Lipſius ex Vat. codice
repoſuit, eſt etiam in Flor. & in Ven. Iidemque
paulo infrà habent; *Præcipiti in occaſum die*,
quod Rhenanus mutauerat in, *præcipitante.*

*Sed imputare perfidiam non poſſunt, qui Vitel-
lium Veſpaſiano prodidere.* Id eſt, prætendere

non poſſunt, ſe Reipublicæ cauſa Vitellium prodidiſſe, nam ijdem à Galba prius deſciuerant; ac ſi occaſio daretur, fortè Veſpaſianum quoque proderent. Frequens eſt apud Tacitum vſus huius verbi, *imputare*, in eodem ſenſu, hoc eſt, poſtulare, aliquid gratiæ apponi ſibi. Exempla paſſim reperiuntur: nec non apud Suetonium & Plinium.

Historiarvm Lib. IIII.

606 *SI quem procerum habitu & iuuenta proſpexerant.* Scribe, *procêrum*, cum accentu. ſic infrà, pag. *614. & eſt pleriſque procêra pueritia.*

607 *Nec perinde proſperis ſocius, quàm aduerſis abſtractus.* Caue interpreteris, *abſtractus*, id eſt, ſeiunctus, vel ſegregatus, ſed quaſi in exitium tractus. vt ſuprà pag. 156. *claritudine infauſti generis, & paternis aduerſis foret abſtractus.* Idque tirunculis dictum ſit, vt cætera. has enim notas veteranis non ſcripſi, cùm & ipſe ſim è tironum claſſe.

608 *Ciuilia de ſe, & rep. egregia.* Malim; *de rep. egregia.*

Ipſa quoque inſectatio in Vitellianos. Flor. *in Vitellium.*

Sera & ſine libertate. Sera dicit, cùm iam de bello tranſactum eſſet, ideóq; vanum ac fruſtratorium, inſectari victos. Sine libertate autẽ ait, quòd ſcilicet inſectatione illa in Vitellianos, nõ præſeferret Mucianus amorem curámque Republi-

publicæ à Vitellianis laceratę, (ita enim hoc ſenſu capienda videtur vox libertatis) ſed potiùs ſe ipſum magnificaret extolleretque. Vel libertas interpretanda ſit, cùm quis, ſine odio & amore, & abſque vllius reſpectu, liberè quicquid ſentit loquitur: ſiue in tempore, quo aliquod periculum ex libertate illa ſermonis prouenire poteſt, vt ſi ante victoriam Mucianus eadem inſectatione vſus eſſet. Ipſe autem, qui Vitellianos oderat, neque ab illis, quippe iam victis, timere poterat, ideo ſine libertate eos inſectari dicebatur.

Muciano triumphalia de bello ciuili data. Flor, *de bello ciuilium.* quod corruptum videtur.

Sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Quæ ſit expeditio iſta, adhuc quæro. Si tranſactam iam intelligit, nullum antehac in Sarmatas bellum Muciano mandatum apparet, qui Syriæ tantùm præfuit. nec ſuprà de alio Sarmatico bello fit mentio, niſi pag. 480. de eo quod ſub Othone confecit M. Aponius Mœſiæ Rector, qui ob hoc triumphali ſtatua donatus fuit. Si autem de futuro atque imminente bello intelligendum ſit, quomodo ante ſuſceptam expeditionem triumphalia inſignia tribuuntur? Potius ſuſpicari poſſumus, verè de bello ciuili ea Muciano data, neque id ſenatores ſimulare voluiſſe: finxiſſe autem, non propter anteacta illius merita tantùm dari, ſed quia reſp. tanti viri opera indigeret aduerſus Sarmatas hoſtes, quorum

motus fingebantur; ideo neceſſe fuiſſe, tali honore, licet inſolito, illum decorare. Hũc tamen ſenſum non affirmauerim, ac ſuſpectus eſt apud me hic locus.

Et ſtudiis Senatus attollebantur. Meliùs fortaſſe ex Florent. legas, *attollebatur.* id eſt, Heluidius ipſe.

Iſque præcipuus illi dies magnæ offenſæ initium, & magnæ gloriæ fuit. Quærit Lipſius, quid ſit, in quo Heluidius offenderit. Reſpondeo, offenſiones illius inferiùs perſcriptas eſſe. Prima, cùm eligi, non ſortiri, legatos cenſuiſſet, præter mores. Secunda, cùm ærarij impenſarúmque curam Senatui delegaret, non Principi reſeruaret. Tertia de Capitolio reſtituendo. Ex quibus ſententijs nulla comprobata fuit, atque in ijs partim Senatum, partim Principem offendit, licet gloriam adeptus eſſet, propter incorruptam quam oſtenderat libertatem. Tacitus autem, poſtquàm dixit, diem illum præcipuum Heluidio fuiſſe magnæ offenſæ, ac magnæ gloriæ; ante quàm Senatus acta ſubijceret, aliquid de ipſius Heluidij genere ac vita præfari voluit: cùm in ſuperioribus verbis, de honoribus tantùm Imperatori ducibuſque tribuendis actum fuerit, nihil de ſerijs.

609 *Heluidius Priſcus, regione Italiæ ſeptima, Tarracinæ municipio.* Corrupta omnino cenſeo verba illa, *regione Italiæ*: ac fruſtrà à Vertranio additam vocem, *ſeptima*, quæ nuſquam in libris reperi-

reperitur. Neque ego ſum tanti, qui locum ſanare valeam. Quid tamen mihi in mentem venerit, licet ineptias ac ludibria, audacter proferam; præſertim cùm à communium literarum veſtigijs coniectura mea non longè aberret. quæ huiuſmodi eſt. *Heluidius Priſcus igitur, natus Tarracinæ municipio*, &c. Certè aliquid ſimile ſententia poſcit, ac fortaſſe alij meliorem lectionem excogitabunt.

Et egregiis orationibus vtriuſque teſtatum. Muretus legit, *vtrimque.* Quam lectionem firmo ex Tacito ipſo, qui infrà, pag. 611. ſic ait: *hæc magnis vtrimque contentionibus iactata.*

Ni memoria flagitiorum vrgeret. Nec male 610
Flor. ac Ven. *vrgeretur.*

Vt vniuſcuiuſque vitam famámque penetrarent. Aliter Flor. *vt in cuiuſque vitam.*

Cum Thraſea, Sorano, Senecione. Pro, *Senecione*, Flor. habet, *Sentio.* quod Lipſio magis probatur.

Quàm bonos amicos. Eſſe ſatis Marcello, &c. Aliter diſtinguunt Flor. ac Venet. *quàm bonos amicos eſſe. Satis Marcello*, &c.

Fuere qui & meminiſſent. Videtur ſenſus. 611
Quum poſtea publicis ſumptibus Capitolium reſtitui cœptum eſſet, non defuere qui meminiſſent, ac teſtati eſſent, olim in Senatu actum, vt Veſpaſianus illud opus adiuuaret. De reſtitutione autem Capitolij vide pag. 641.

Tali rerum ſtatu, cùm diſcordia inter partes, ira 612

apud victos. Vbi partes, ibi conſequenter diſcordia. nihil ideo erat quod diceret, diſcordiam fuiſſe inter partes. Sed nullæ ferè partes iam erant, cùm omnia in victorem Veſpaſianum ceſſiſſent. Ergo legendum puto; *cum diſcordia inter patres:* id eſt, inter Senatores. quod ex antecedentibus ſatis liquet. Idque Mercerus etiam animaduertit.

Non leges, non principes in ciuitate eſſent. Corrige ex Flor. *non Princeps.* Vnus enim Princeps, ipſe Imperator. Filij autem, Cæſares appellati: ac Domitianus ipſe in vrbe erat.

Fracta Primi Antonij, Variíque potentia. Flor. ac Ven. addunt, *Varíque Arrij.*

Vim principis complecti, nomen remittere. Idem Flor. *amplecti.*

Capta legionum caſtra hiberna. Inſeruit Rhenanus vocem, *caſtra*, quæ neque in Flor. neque in Ven. neque in alijs melioribus libris reperitur. Ergo deleatur.

613 *Nec opibus romanis, ſocietate validiorum attriti.* Mendoſa hæc. neque Flor. variat. Cùm autem Lipſius teſtetur, in Vat. codice legi, *ſocietatéue aliorum aſtricti:* putaui olim legendum eſſe; *nec opibus, romanorum ſocietate, vel aliorum, attriti.* nam fortaſſe ſcriptum erat, *rom.* quod interpretatum fuit, *romanis.* nec ſemper romanorum ſocios fuiſſe Batauos credendum eſt. Sed hæc lectio nunc nec mihi ipſi probatur. Quid ſi ſecundum Vaticanam lectionem interpre-

temur,

temur, eos, neque ab opibus potentiaque romanorum, neque ab alijs ſocijs aſtrictos, id eſt, ſeuerè habitos fuiſſe; ſed tamquam liberos, arma tantùm & milites miniſtraſſe?

Integris turmis Rhenum perrumpere. Aut hîc deeſt verbum, *ſuetus, ſolitus, exercitus*, vel quid ſimile; aut certè legendum eſt, *perrumpens.* alioqui non cohæret ſententia.

Igitur ciuilis diſſidij certus. Meliùs Flor. ac Venetus; *deſciſcendi certus.*

Pellexit Britannica auxilia, Batauorum cohortes. Ipſas Batauorum cohortes Britannica auxilia vocat, propterea quòd diu in Britannia fuerant cum xiiij^a. legione, vt ſuprà pag. 468. 506. & alibi. Remiſſas autem in Britanniam dixit, pag. 530. 614

Erat in Caninefatibus, ſtolidæ audaciæ Brinio. A Florent. appellatur, *Brinno*, à Veneto, *Brenno.* 615

Igitur ipſo rebellis familiæ nomine. Florent. habet, *homine.* Ven. *omine.* Vtraque vox, aut, *nomine*, aut, *omine*, proba eſt; tamen vulgatam præfero.

Duarum cohortium hiberna, proximo occupato Oceano, irrumpit. Lipſius legendum putat; *proxima occupatu, Oceano irrumpit.* Qua coniectura nihil certiùs arbitror, cùm Flor. habeat; *proxima occupata.*

Directa ex diuerſo acies. Legendum puto, *aciæ.* Nam ſequitur; *& obuerſis nauibus.*

618. *Gallum monuit, ne teneret abeuntes.* Floren. ac Venetus, *ne terreret.*

Sponte legatorum excitari bellum: quincun- cta quæ acciderant, &c. Iidem libri habent: *exci- tari bellum, cunctáque quæ acciderant.*

619. *Illi veteris militiæ memores, in cuneis congre- gantur.* Pulcherrima phraſis, ac Tacito familia- ris, hîc perierat, niſi ab optimo Flor. nobis reſti- tuta fuiſſet, vt alia multa. Neque attentum le- ctorem fallet, ineptè dictum, Batauos veteris militiæ memores. An illius militiæ tãtùm, quàm tirones olim didicerant? Cur non potiùs dixit, diuturnæ militiæ memores? Repone ergo ve- ram lectionem: *Illi, veteres militiæ, in cuneos con- gregantur.* nam & idem liber, pro, *cuneis*, habet, *cuneos.* Sic ſuprà dixit, *vetus operis & laboris, ve- tus ſcientiæ ac ceremoniarum, vetus regnandi, ve- tus ſtipendij,* vt notaui ad pag. 16. Atque idem in Vat. codice legitur: teſte Iuliano Medice, qui il- lum, me rogante, inſpexit.

620. *Subuerſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipij extructa.* Hunc locum il- luſtrauit Lipſius de Militia rom. lib. 5. dial. 1. do- cens, fuiſſe romanis conſuetudinem, extra ipſa hiberna ſeu ſtatiua, adnectere aliquà ædificia, quæ Proceſtria appellabantur, vt in ijs recipe- rentur lixæ, mercatores, alijque pagani, qui ca- ſtra ſequebantur. eos enim Romani militibus non miſcebant. Colligitur idem ex Cæſare, qui lib. 6. cùm Germani equites ſubitò ad caſtra ſua aduo-

àduolaſſent, ait: *Nec prius ſunt viſi, quàm caſtris appropinquarent, vſque eò, vt qui ſub vallo tenderent mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem.* Vbi vides, mercatores ſub caſtris tetendiſſe, non in caſtris: atque in ea denique receptum habuiſſe, cùm hoſtis inſtaret. Obſeruaui etiam, pœnæ & ignominiæ loco datum militibus, extra vallum tendere. Tacitus lib. 13. pag. 317. *militéſque tendere omnes extra vallum iuſſit, inque ea contumelia detenti, nec niſi precibus vniuerſi exercitus exoluti ſunt.* Liuius lib. 10. *Cohortes quæ ſigna amiſerant, extra vallum ſine tentoriis deſtitutas inuenit.* Frontinus lib. 4. *Octacilius Craſſus Conſul, eos qui ab Hannibale ſub iugum miſſi redierant, tendere extra vallum iuſſit.*

Iuxta belli ciuilis externique facie. Florent. *mixta belli*, &c. Quod mihi verius & aptius videtur.

Duabus legionibus ſitum, vix quinque millia armatorum tuebantur. Vox additur in Floren. ac Ven. *armatorum romanorum.* quam à Rhenano exturbatam ego reſtituerem. Ait enim, *romanorum*, vt ab illa quinque millium ſumma excluderet ſeruos, lixas, atque id genus hominum.

Scandebant iam quidam. Floren. *ſcandebántque iam quidam.* Meliùs ergo interpunge: *inuaſere vallum, appoſitis vtrimque ſcalis, alij per teſtudinem ſuorum. Scandebántque iam quidam.* 621

Lectos legionibus Dillio Voculæ. Muretus: *lectos è legionibus.*

Ipſe pauidus torpere, inuiſus militibus. Aliter Flor. *Ipſe nauibus, inualidus corpore, inuiſus,* &c. Fortè legendum eſt: *Ipſe pauidus, inualidus corpore,* &c.

Acciri in ſocietatem Germanos. Flor. ac Ven. *adſciri.* fortè, *adſciſſi.* quod tamen vulgatæ lectioni non præferam.

622 *His inter ſe vocibus inſiſtentes.* Malim ex Flor. *inſtinctos.* Sic infrà, pag. 738. *Inſtinctos ruenteſque ita diſpoſuit.* ſuprà, 80. *His vocibus inſtinctos exercitus, propria quoque cauſa ſtimulabant.* Liuius libr. 5. *diuino ſpiritu inſtinctus.*

623 *Vtque præda ad virtutem incenderetur.* Flor. *accenderetur.*

624 *At ciuilem immenſum vniuerſa Germania extollebat.* In Flor. legitur, *immenſis auctibus vniuerſa,* &c. Quam lectionem Lipſius penitus damnat, cùm tamen mihi optimum ſenſum habere videatur. Significat enim, quotidie affluxiſſe ciuili immenſa Germanorum auxilia, quibus ille maximè augebatur, & extollebatur. Itaque verba illa reſtituenda cenſeo, atque interpretor, *immenſis auctibus,* ſcilicet militum, ac virium.

Quos genus Germanicæ originis. Florent. *quòd gens,* atque ita ſcribendum eſt: ſicut etiam, *vocarentur;* eodem libro auctore, ac Lipſio probante.

Nec

Nec finem labori nox attulit. In Venero legitur: *ne finem quidem labori nox attulit.* 625

Egregium, inquit, pretium laboris cepi. Floren. *recipi.* fortè, *recepi.* 626

Sic accenſum, ſed meliora referre iuſſum, dimittit. Idem, *molliora.* Ven. *moliora.* Lege ergo, *molliora.* 627

Qui reuerſus miſſos Noueſium frumentatores. Reſtitue ex Flor. *Qui vbi rurſum miſſos.* 629

Vt eſt vulgus ſine rectore præceps, pauidus, ſecors. Corrige, *pauidum.* ſic libri omnes veteres. & Tacitus paulo infrà: *vulgus alimenta in dies mercari ſolitum.* 630

Cùm iam Vitellius corruiſſet. Cùm Regius codex haberet, *occurriſſet*, Rhenanus emendauit, *corruiſſet.* At in Flor. ac Ven. non malè legitur, *occidiſſet.*

Primani, quartaníque, & duodeuiceſimani. Ex fide Flor. codicis corrigo, *duo & viceſimani.* Sicque hiſtoriæ veritas exigit.

Satietate prædæ, nec incruentati. Ita diſperſos, &c. Lipſianam emendationem nonnihil iuuat Flor. liber, qui habet; *nec incruentari via a diſperſos.* Lipſius autem legit: *nec incruenti. In via diſperſos.*

Quòd tranſgredientem in partes Veſpaſiani legionem deſeruiſſet. In Florent. meliùs legitur; *tamquam tranſgredientem.* quaſi dicat, non omnino illam cauſam fuiſſe, præturam Iuliano adimendi, ſed vt Griphus honore illo deco- 631

raretur. Imo paulo infrà, Iuliano prætura reſtituitur.

Vis penes Mucianum. Floren. ac Ven. addunt verbum; *vis penes Mucianum erat.*

632 *Et qui Faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent*. Autoritate Flor. codicis delendam cenſeo vocem, *qui*: nam ijdem illi, qui æra legum reponere, Faſtorum quoque exonerandorum curam ſuſcipere debebant.

634 *Sponte ex S.C. accuſationem ſubijſſe*. Moris fuiſſe videtur, vt alicuius cauſæ, vel accuſatio, vel etiam defenſio, à Senatu ipſo, huic vel illi Oratori plerumque demandaretur; ſiue actoribus vel reis nominatim aliquem petentibus, ſiue proprio Senatus motu: vt notum eſt, ac præſertim in Plinio iuniore apparet, lib. 2. epiſt. 11. lib. 3. ep. 4. lib. 5. ep. 20. lib. 6. ep. 29. Tangit etiam hunc morem Tacitus lib. 15. pag. 382. At verba hæc ſecum pugnant. Quomodo enim ex Senatuſconſulto accuſatio ſuſcepta, ſi ſponte? aut quomodo ſponte, ſi ex Senatuſconſulto? An ipſemet Regulus irrequiſitus, ac ſponte, curauit vt ſibi ex Senatuſconſulto accuſatio iniungeretur? Rhenanus corrigendum putabat; *ſponte ex ſe*. idque nec Lipſio diſplicet, qui etiam excogitauit, legi poſſe; *ſponte & inconſulto*. Ego neque probo neque improbo, ac meam ipſe coniecturam, ſeu potiùs diuinationem, non reticebo. Cùm enim ab ijs qui accuſationem ſubire aggrederentur, Senatum antea conſul-

tum

tum de ea re fuiſſe, probabile ſit; fortè legẽdum erit: *ſpontè nec ſenatu conſulto, accuſationẽ ſubiiſſe.*

Appetitum morſu Piſonis caput. Copulam addit Flor. *Adpetitúmque morſu.*

Patres cœptam libertatem, poſtquàm obuiam itum, omiſere. Flor. Ven. atque alij veteres habent, *ceptatam libertatem.* vnde ego legendum puto, *captatam*, vt ſcilicet captauerint, vel tentauerint, veterem loquendi ac decernendi libertatem reſumere. 635

Octauium Sagittam. Addunt Flor. ac Venetus, *Octauium Sabinum Sagittam.*

Manlius Patritius ordinis Senatorij. Florent. *Manlius Patruitus Senator.* 636

Ne Vitelliani quidem ſine multa cæde pelli poterant. Plura hîc in Florent. adduntur: *pelli poterant, ſed immenſa pecunia fer̃.* Poſt hæc, paginarum tranſpoſitio facta fuit à librario. Incipit enim in verbis: *ne criminantium nuntijs temerè accenderetur.* & ea quæ ſequũtur infrà, pag. 640. vſque ad verba; *quo tanta vis hominum retinenda erat*, pag. 642. Deinde reuertitur ad hæc; *Ingreſſus caſtra Mucianus.*

Spernunt oblatos ſibi agros. Illud, *ſibi*, additum fuit à Rhenano. quod à Flor. ac Ven. abeſt, neq; neceſſarium eſt. 637

Tentarítne Piſonem ad res nouas. Flor. ac Ven. *tentaueritne.* 638

Mandatúmque vt legatos ad Senatum mitteret, & pacem eſſe ſciret. Malim, *vt pacem.* Senſus 640

enim eſt. Verebatur Veſpaſianus, ne Parthi, res romanas diſcordijs adhuc laborare putantes, ac Senatus Imperatoríſque diuerſas eſſe partes, de bello inferendo fortaſſe cogitarent. Ideo Vologeſo mandauit, vt legatos Romam mitteret; ea mente, vt ille re ipſa cognoſceret, quieta omnia eſſe, pacificúmque Imperium.

641 *Ni pater exemplum præbuiſſet.* Flor. *ni parens.*

Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina. Congruit etiam Floren. codex cum Vat. Malè vulgò, *omina.* Vide Lipſium.

Luſtrata boue tauríſque area. Flor. *boue taurilibus.* Rectè ergo Lipſius emendauit, *ſuouetaurilibus.*

642 *Vittas, quibus ligatus lapis.* Idem Flor. *quis ligatus lapis.*

Vitellianæ legiones externum ſeruitium, quàm Imperatorem Veſpaſianum malle. Reſtitue ex Flor. ac Ven. *vel externum ſeruitium.*

643 *Claſſicus nobilitate atque opibus anteibat alios.* Flor. *ante alios.* quod & Lipſio magis probatur.

Ipſe è maioribus ſuis hoſtis populi rom. quàm ſocius iactabat. Mercerus legit: *hoſtes quam ſocios.* quod certè mihi magis placet.

Hic Treuir, hic Lingon. Sententia mallet: *Ille Treuir, hic Lingon.*

Hi ſecretis ſermonibus animos ceterorum ſcrutari. legendum puto, *ſcrutati.*

644 *Captum & extra conuentum amandatum in Friſios diximus.* Dixit ſuprà, pag. 618. Sed conuentus

uentus ille mihi ſuſpectus eſt. nam quum iuſſu ciuilis in Friſios auectus eſt Claudius, ipſi erant in campo, & in acie. quid ergò propriè dictum de conuentu? Flor. habet, *comtum*. Ven. *commentum*. fortè legendum eſt, *extra commeritum*. Ea enim Taciti mens, innocenter, ac ſine vlla culpa relegatum Claudium fuiſſe, nec ob aliam cauſam, quàm æmulatione aduerſus ciuilem, vt ibi apparet.

Mortémque in tot malis hoſtium, ut finem miſeriarum, expecto. Vocem, *hoſtium*, corruptam eſſe liquet. nec mutant libri. Lipſius variè emendat, acutè fortaſſe magis quàm verè. Ego ſimpliciùs legerem, *hodie*. Nam illa ipſa die mortem Vocula expectabat: imò ſtatim poſt concionem de ſupremis agitauit. 645

Id enim fas armorum, & ius hoſtium. Verbum à Tacito plerunque omittitur, neque hîc opus eſt. tamen optimus Florent. addit; *& ius hoſtium eſt*.

Quoties romanæ legiones perire præoptauerunt, ne loco pellerentur? Meliùs ex Flor. legas, *præoptauerint*, abſque interrogationis nota. atque interpungas: *deficiunt, quoties*. Venetus etiam idem habet.

In eadem verba adigit. Occiſis Magontiaci tribunis. Meliùs diſtinguendum eſt, monente Mercero *adigit, occiſis Magontiaci tribunis, pulſo caſtrorum præfecto, qui detractauerat. Claſſicus*, &c. 646

647 *Ac qui ipſos leues abeuntes proſequerentur.* Flor. *at qui ipſos.* Corrige, *atque ipſos.*

649 *Sæuitia ingenita, & cupidine prædæ.* Floren. ac Venet. *ingenti.* vnde rectè corrigas; *ſæuitia ingenij.*

Sed præcipuo deorum Marti grates agimus. Flor. *& præcipuo.*

650 *Quomodo lucem noctémque omnibus hominibus,* &c. In Vat. codice ita legi teſtatur Lipſius, idque ipſe adeò amplectitur, vt in contextum receperit. Ego autem libentiùs Flor. ac Veneti, aliorùmque veterum lectionem tueri vellem, id eſt, *lucem diémque.* Non enim ideo dictum, quaſi lux & dies differant: ſed duo ſimul verba idem ſignificantia ſæpiſſimè à Tacito iunguntur, ornatus, ac maioris expreſſionis cauſa. Et nónne paulo infrà dixit; *noua & recentia iura?* Idem in libello de cauſis corruptæ eloquentiæ, pag. 754. *libentiùs nouis & recentibus, quàm remotis, & obliteratis vtor.* Ibi etiam non ſemel inuenies, *veterem & antiquum.* Idem ferè Plin. Paneg. dixit: *Vt ſol & dies, non parte aliqua, ſed ſtatim totus, nec vni aut alteri, ſed omnibus in commune profertur.* Sed prorſus idem inferiùs ait: *bonos autem otio aut ſitu abſtruſos, & quaſi ſepultos, non niſi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant.* Neque in his Taciti verbis locum propriè habere videtur nox. nam dicere ſolemus, viuentes, aut luce, aut die frui; nunquam nocte. Imò ſi ad verbum, *aperuit,* reſpicia-

ſpiciamus; lucem ac diem nobis natura verè aperit, noctem autem quaſi recondit, ac tenebris inuoluit.

Eductis olim, & nobiſcum per connubium ſociatis. Verè Lipſius repoſuit, *deductis*: nam & Flor.& Ven.idem habent.

Donec Germani tranantes, terga Labeonis inuaſere. Vide an rectum ſit, *tranatantes*, vt in Flor.codice legitur. 651

Nequaquam egregij duces, &c. Mercerus corrigit; *ne, quamquam*, &c. at deinde, *parum tolerarent.* Rectè quidem. Sed ſuſpectũ mihi eſt illud, *parum*: ac libenter totum locum ſic legerem: *ne, quamquam egregij duces (iam enim Gallum Annium, & Petilium cerialem delegerat) ſummam belli poſſent tolerare.* 652

Suſpectis, vti diximus, Primo Antonio, Varóq; Ario. Scribendum eſt vbique, *Arrio*. atque ita corrigendum eſt ſuprà, pag. 631. nam ſic nominatur in Flor. codice, alijſq; veteribus, & etiam ſuprà; pag. 555. 560, 606. & alibi.

Legiones victrices VI. & XVIII. In Flor. legitur corruptè: *Legiones victrices vim.* XI. VIII. Vnde videtur legendum, VI.^{am} & VIII.^{am} quomodo Mercerus admonet, & ex hiſtoriæ fide.

Recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas. Flor. *delectu*. 654

Montibus aut Moſella amne ſeptum. Reſtitue 655

ex veteribus libris, *montibus & Moſella.* quod mutauit Rhenanus ſine cauſa. non enim alterutrum munimentum erat, ſed vtrumque.

Vt ventum ad manus, deturbati ruina modo præcipitantur. Floren. *vt ventum in manus.* Idem ait Tacitus infrà, pag. 659. *venturóſque in manus, non imperiti adoleſcentuli,* &c. ſuprà, pag. 98. *vt venere in manus, non vltra dubitatum.* Plin. Paneg. *Nec tibi opima defuerint, ſi quis Regum venire in manus audeat.*

656 *Redigeret prædam in fiſcum.* Meliùs ex Flor. legas: *redigeretur præda in fiſcum.*

Poſito ciuili bello, ad externa modeſtiores. Flor. *ciuium bello.*

Quæ militum ducúmve diſcordia. Idem, *ducumque.*

658 *Muciani & Domitiani vana & ſine viribus nomina.* Nimis friuolum eſt monere, in Flor. legi, *Muciani ac Domitiani.* tamen propter copulam ſequentem, elegantiùs videtur.

659 *Tranſuectam à Britannia legionem.* Meliùs Flor. *è Britannia.*

660 *Quod vos Gallici fœderis oblitos prædixerim, memoriam romani ſacramenti tenere credidi.* Verè corruptus locus, neque in Flor. aliter variatur, niſi quòd pro, *tenere*, legitur, *temere.* Vnde, aut ego fallor, aut locum ad Taciti mentem ita reſtituam: *quod vos Gallici fœderis oblitos, & retinere memoriam romani ſacramenti, temerè credidi.*

Fla-

Flagrantiſſima cohortium ſuarum integra, & è Chaucis, &c. Cùm Flor. habeat; *integráque*; rectè hunc locum reſtitues ſic: *Flagrantiſſima cohortium ſuarum integra; quæ ex Chaucis Friſiiſque compoſita, Tolbiaci, &c.* 661

Remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Sarapis dei. Flor. habet, *Serapidis dei.* ſicque etiam Venetus. 662

Vulgus aduerſari Regem, inuidere Ægypto. Muretus mallet, *auerſari.* 665

Inclytam olim, veteris Ægypti columen. Copula reponenda eſt ex Florent. *& veteris Ægypti columen.*

Si ſtatus imperij, aut ſalus Galliarum in diſcrimine verteretur. Veteres habent, *in diſcrimen.* quod mutauit Rhenanus. 666

Qua cogitatione bellum aduerſus patrem cogitauerit. Damnat hoc Lipſius, tamquam ſit, cogitare cogitatione, quod verè eſſet ineptum. Mercetus diſtinctione iuuat: *qua cogitatione, bellum aduerſus patrem cogitauerit, an opes viréſque aduerſus fratrem, in incerto fuit.* Non malè. Tamen ego, Florent. codice iubente, veriùs reſtituo: *qua cogitatione, bellum aduerſus patrem agitauerit.*

Simul ſimplicitatis ac modeſtiæ imagine. Aduerbium, *ſimul*, à Flor. abeſt. ac Rhenanus teſtatur, abeſſe etiam à Regio exemplari, nec certè videtur neceſſarium.

HISTORIARVM LIB. V.

667 A*Tque ipſe, vt ſuperior ſui iam crederetur.* Florent. habet, *vt ſuperioriunam.* Rectè ergo Lipſius emendauit; *vt ſuper fortunam.* Sic Salluſt. in Iug. *monere, ne tam praua inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret.*

668 *Aucto in barbarum cognomento.* Nonnulli veteres libri addunt, *in barbarum morem.* Quam vocem iure ſpernas: nam neque eſt in Florent. neque in alijs melioribus libris. Imò ſic ſuprà loquitur Tacitus, pag. 228. *Ciuitas potens, ſepta muris, neque in barbarum corrupta.*

Iudæos vocitari, quaſi Idæos. Etiam à Flor. abſunt verba illa, *quaſi Idæos.* ideo vt purum gloſſema eijciantur.

Condita vrbi Hieroſolymam nomen è ſuo feciſſe. In veteribus omnibus legitur, *nomine ſuo.* Plerique etiam habent, *conditam vrbem.* Rhenanus verò emendauit, vt in vulgatis. Ego potiùs legerem; *condita vrbe, Hieroſolymam nomine ſuo feciſſe.*

669 *Memoria cladis, quòd ipſos ſcabies quondam turpauerat.* Flor. Ven. & alij veteres habent; *qua ipſos ſcabies.*

671 *Præcipuum montium Libanum erigit.* Quis eſt, qui erigit? An terra ipſa & ſolum? Ita cenſeo.

Incerta vndæ, ſuperiacta, vt ſolido feruntur. Putaui olim legendum; *Inertes vndæ ſuperiacta,* &c. ſic infrà pag. 710. dixit: *mare pigrum, ac pro-*

pè immotum. Item 721. *mare pigrum, & graue remigantibus.* Sed argui poteſt, idem ſuprà dictum, his verbis; *neque vento impellitur.* Ideo potiùs interpreter, incertam vndam, quæ aſpicientes quaſi ambigere cogat, veráne vnda ſit, an ſolidum ſolum. Videtur autem conſtructio. Superiacta, feruntur incertæ vndæ (id eſt, ab incerta vnda, Corneliano more) vt ſolidò. Niſi ſententiam diuidere malimus, ac plurali numero legere; *Incertæ vndæ. Superiacta, vt ſolido feruntur.* quod certè aptius videtur, ac mihi magis probatur.

Terrámque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Voce auctior eſt Flor. *terrámque ipſam ſpecie torridam.* 672

Ego ſicut Iudaicas quondam vrbes, &c. Lipſius ex libris nonnullis legit, *inclitas quondam vrbes.* Quod rectum puto: namque id etiam Flor. annuere videtur, qui habet, *indicas.*

Circa cuius os conlecta arena. Flor. *lecta.*

Romanorum primus Gn. Pompeius domuit. Licet ſubintelligatur, tamen Flor. ac Ven. addunt; *Gn. Pompeius Iudæos domuit.* 673

Mox bello ciuili interno. Sic veteres libri omnes, præter Romanam editionem, vbi, vt ait Lipſius, legitur, *bello ciuili internos.* quod mihi non ſatis placet: ac potius legerem; *bello ciuium interno.* ſæpè enim aliàs dixit, bellum ciuium, pro ciuile.

Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Au-

guſtus ſanxit. A' Rhenano eſt verbum, *ſanxit*, cùm libri omnes veteres habeant, *auxit*.

674 *Ad omnes principatus noui euentus caſúſque vtile videbatur.* Ex Florent. meliùs legas; *vtilius videbatur.*

676 *Et plures quàm pro numero audebant.* Id eſt, plures quàm pro numero eorum qui arma capere iuſſi fuerant: innuens, multos etiam ſenes, inualidos, pueros, ac feminas, arma ſumpſiſſe.

Quando impetum & ſubita belli locus abnueret. In Flor. legitur, *impetus*, pluraliter.

Reparato per Germaniam exercitu, apud vetera conſedit. Antiquiores libri omnes addunt; *apud vetera caſtra conſedit.*

677 *Sed vt quoſque eorum aduehebantur.* Lege ex Flor. *vt quoſque ſuorum.*

Attamen fuſos Germanos. Meliùs idem liber: *ac tamen.*

678 *Captiuitatem cladémque, & dira omnia obuerſari.* Flor. *oĩa.* fortè meliùs, *omina.*

Suam illic victoriam Germanis obſtitiſſe. Victoriæ vocem improbat Lipſius, quæ mihi optimè ſe habere videtur. Perſpicuum eſt, fieri à Tacito mentionem hîc de prœlio, quod in Treuiris inter Ciuilem Cerialémque geſtum fuit, vt ſuprà, pag. 660. In quo prœlio Germani, victores primùm, nimia deinde prædæ auiditate, victi à Ceriale fuerunt. Ibi enim ait: *ſed obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamen, hoſte omiſſo, ſpolia conſectandi.* Qua

Quæ prouideri aſtu ducis oportuerit, prouidiſſe. Flor. *preuiſe.* legendum puto, *prouiſa.*

In quibus fuit Alpinus Montanus. Idem Flor. 679
in quis.

Suiſmet coriis coopertos trucidabant. Magis placet, *ſuiſmet tentoriis*, vt affirmat Lipſius legi in Vat. codice. Nam Florent. habet, *ſuiſmet toriis*, vt ſuſpicari poſſimus, primam ſyllabam excidiſſe.

Ita cœpta cæde, & quo plus terroris adderent. 681
Copula, *et*, ſuperflua videtur, & à Flor. abeſt.

Pauci ornati militariter, plerique circum brachia torta veſte. Flor. habet, *ornati militari.* vnde videtur legendum, *pauci ornatu militari, ac plerique*, &c.

Ciuilem cupido inceſſit, naualem aciem oſtentandi. Corruptè hîc in Flor. legitur; *Ciuilem cupido inuaſi inceſſi.* Quod cùm fortaſſe non temerè ſit inculcatum, ſuſpicor, reſtituendum eſſe; *Ciuilem cupido inuaſit, receſſu naualem aciem oſtentandi.* id eſt, dum rediret.

Spatium velut æquoris captum. Flor. *velut æquoris eiectum.* lego, *electum.*

Vbi Moſæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit. Flor. ac Venetus; *quò Moſa.*

Is flumine ſecundo, illi vento agebantur. Floren. 682
His flumen ſecundum, &c.

Sibi non tributa, ſed virtutes & viros indici. 683
Lipſio placet coniectura Rhenani, legentis; *ſed iuuentutem & viros.* Ego autem potiùs audio

Flor. codicem, qui habet; *ſed virtutem & viros*, Idem ferè ait Tacitus, de iiſdem Batauis infrà in libello de moribus Germ. pag. 702.

In cuius abrupta progreſſi duces, ciuilis ita cœpit. Reſtitue copulam ex Florent. *& ciuilis ita cœpit.*

Quæ Antonius abſens, Flaccus præſens mouebat. Flor. habet; *Quæ Antonius epiſtolis, Hordeonius Flaccus præſens monebat.* Sanè ſuprà, pag. 613. dixit: *Eadem Hordeonius Flaccus præſens monuerat.*

Fabianus in Pannonia. Rectè Florent. *Flauianus.*

DE MORIBVS GERMANORVM.

687 **D***Onec in Ponticum mare ſex meatibus erumpat.* Venetus, *erumpit.* In Flor. enim codice ſequentes libelli deſiderantur.

688 *Vtque ſic dixerim, aduerſus Oceanus.* Suſpicor legendum, *auerſus.* Aliàs enim in ſuperioribus libris hic error, neque ſemel irrepſit. pag. 455. *etiam deos infauſtam adoptionem aduerſantes.* quod Muretus reſtituit, *auerſantes.* 566. *neue ſe vt parricidam aduerſarentur*; vbi ex codice Flor. ego repoſui, *auerſarentur.* 665. *vulgus aduerſari Regem.* Muretus mallet, *auerſari.* Imo annalium lib. 1. pag. 20. quod optimè in Manuſcripto legitur; *ſua facinora auerſari deos lamentantur*; in nonnullis editis corruptum fuerat, *aduerſari.* At ſi fortè apud Tacitum aliquando verbo, *ad-*

uerſari,

uerſari, eadem eſt ſignificatio; concedatur etiam, vt in hoc loco ſit, *aduerſus*, pro, *auerſus*. Idque impropriè ab eo poſitum eſſe, apparet ex illis verbis, *vt ſic dixerim*; quæ aliquid extra communem vſum denotant.

Ab illo conſtitutum, nominatúmque ἀσκιπύρ- 689
γιον. hæc græca vox, à Veneto codice abeſt, licet ſpatium relictum ſit, vt ſuſpicari poſſimus, non fuiſſe tunc græcos characteres typographo ad manum. Tamen cùm eam vocem gloſſema eſſe Lipſius putet, ac ſuperflua omnino videatur, cùm Aſciburgium nomen præceſſerit, ego ſanè illam reijciendam cenſeo.

Nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos. Lipſius vocem, *aliis*, tanquam redundantem tollit. Ego olim, coniectura legebam, *nullis alienigenarum nationum*, &c. Tamen vtcumque, neque ſuperuacua, neque inepta mihi ſcriptura communis videtur, cùm dicat, nullis alijs connubijs aliarum nationum, Germanos infectos fuiſſe. ſimilis loquendi modus eſt in libello de cauſis corruptæ eloquentiæ, pag. 777. *vt omnem omnium artium varietatem complecteretur.*

Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens. Caue interpreteris, *ſatis*, pro ſufficienter, vt nonnullos vidi. ſed *ſatis*, id eſt, in omnibus ijs quæ ſeruntur.

Ne armentis quidem ſuus honor aut gloria frontis. Innuit Germaniæ boues parua habuiſſe

cornua, quæ, honorem frontis appellat. Idem ait Horatius, de cauda pauonis loquens, Serm. lib. 2. Sat. 2. *coctóne num adeſt honor idem?* Plinius iunior, Paneg. ad Traianum: *Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris.* honorem capitis vocat, decoram & ornatam Traiani Cæſariem.

Poſſeſſione & vſu haud perinde afficiuntur. Videtur ſenſus: interiores illos ac rudes Germanos, qui nondum auaritia infecti erant, perinde poſſeſſionem atque vſum auri argentíque paruipendere ſolitos fuiſſe. quod etiam verba ſequentia ſatis oſtendunt.

690 *Vix vni alterìue Caßis, aut Galea.* Iſidorus Etymolog. lib. 18. cap. 14. ſic diſcriminat; quòd Caſſis de lamina eſt, Galea de corio.

691 *Effigieſque & ſigna quædam detracta lucis, in prælium ferunt.* Subintelligendum eſt, effigies & ſigna ferarum. Quem morem clariùs expreſſit ſuprà, pag. 620. *Hinc veteranarum cohortium ſigna, inde deprompta ſiluis lucíſque ferarum imagines, vt cuique genti inire prælium mos eſt.*

693 *Sin placuit, frameas concutiunt.* De armorum ſono, etiam lib. 5. hiſt. pag. 678. *vbi ſono armorum tripudiiſque, ita illis mos, approbata ſunt dicta.* Qui ſonus, quod Tacitus minime docet, fiebat; ſcuta haſtis, ſeu gladijs feriendo. Idemque mos etiam Romanis erat. Vide, ſi placet, Lipſium de Militia rom. libr. 4. dial. 9. & 11. vbi hoc multis autorum exemplis confirmat.

Igna-

Ignauos, & imbelles, & corpore infames. Lipſius, vt Germanorum gentem purget, legendum ſuadet; *& torpore infames.* Quod mihi nullo pacto probari poteſt. nam torpor & ignauia, propriè infamia vocari non poteſt, neque ego pro infamia corporis accipiendum cenſeo tantummodò inhoneſtum corporis vitium, ſed largo quodam ſenſu, vitia omnia comprehendi, quæ corpus vitámque hominum commaculant. Sic lib. 1. Annal. pag. 47. dixit; *Caſſium quemdam mimum corpore infamem.* lib. 15. pag. 397. *Quintianus molli corpore infamis.*

Principis dignationem etiam adoleſcentibus aſ- 694
ſignant. Sic Liuius lib. 2. *Appius inter patres lectus, haud ita multò poſt in principum dignationem peruenit:* id eſt, receptus & habitus fuit inter principales ciues romanos.

Et facilius inter ancipitia clareſcunt, magnúm- 695
que comitatum non niſi vi bellóque tueantur. Meliùs mihi videtur legi in Ven. codice: *& vt facilius inter ancipitia clareſcant: magnúmque comitatum non niſi vi belloque tueare.* Mutauerat Rhenanus.

Nam epulæ, & quamquam incompti, largi tamen apparatus. Idem Ven. habet: *nam epulæ, & conuictus, quanquam incompti, largi tamen apparatus.* Quam lectionem ego non improbauerim, vt, *largi apparatus,* ſecundi caſus ſingularis numeri ſit.

Quotiens bella non ineunt, non multùm vena-

tibus,plus per otium tranſigunt. Aduertit Lipſius, hunc locum pugnare cũ Cæſare,imò cum vſu & ratione. Ergo negatiuã, è prioribus verbis malè geminatam,tollit,ac legit; *Quotiens bella non ineunt,multum venatibus*,&c. nec dubito, quin optimo iudicio. Tamen ego potiùs ſuſpicor, maius aliud ſubeſſe vulnus, atque omninò corrupta eſſe verba illa, *non multum*: præſertim cùm, *tranſigere venatibus*, neſciam an latinum ſit,niſi addamus,vitam,æuum,ætatem,aut quid ſimile. Et cùm ex aduerbio, *multùm*, remota priori litera,*m*,viſum mihi ſit, facillimè formari poſſe, *vitam*; diuinabam, num fortè ſcriptum fuerit; *Quotiens bella non ineunt, tum vitam venatibus,plus per otium tranſigunt.*Innuit Tacitus, eos à venatione domum reuerſos, otio penitus ſe dedere ſolitos fuiſſe, vt clariùs infrà dicit, amare eos inertiam,atque odiſſe quietem. Quòd ſi Lipſij coniecturam probare mauis,ego potius legerem: *Quotiens bella non ineuntur*; *multum venatibus*, &c. vt illud,*non*,corruptum fuerit ex antecedenti ſyllaba.

Et infirmiſſimo cuique ex familia. Ipſi hebent, &c. Melius diſtinguo: *& infirmiſſimo cuique ex familia;ipſi hebent*, &c.

Mos eſt ciuitatibus, vltrò ac viritim conferre Principibus, vel armentorum,vel frugum. Defectum eſſe hunc locum affirmat Lipſius, atque adijcere vellet; *viritim* x (id eſt, *decimam*) *conferre.* Mihi autem integer vtcumque videtur,& commo-

commodè ſubintelligi poſſe, aliquid vel armentorum vel frugum. ac ſi dixiſſet; collationem facere principibus, armentorum vel frugum; aut, ex armentis vel frugibus.

Pellibuſque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. Adde teſtimonium Philoſtrati de vita Apollonij lib. 3. cap. 15. vbi ait, ad mare rubrum eſſe Ichthyophagos, id eſt, piſcibus viuentes populos, ac vrbem incolentes, nomine Stoberam, qui ex magnorum piſcium membranis veſtes intexunt. 696

Qui non libidine, ſed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Nota ſignificationem huius verbi, *ambiri.* quaſi vltrò ſibi offerri. Sic ſuprà, pag. 640. *magnificum lætumque, tantis ſociorum auxiliis ambiri, neque indigere.* 697

Sed boues & frenatum equum. ſuſpicor excidiſſe vocem; *ſed binos boues.* nam infrà, vbi hæc ipſa dona recenſet, ait; *hoc iuncti boues, hoc paratus equus.*

Rursúſque ad nepotes referant. In Ven. legitur; *rurſus quæ ad nepotes referantur.*

Nec corrumpere & corrumpi ſæculum vocatur. id eſt, communia ac reciproca vitia, prætextu ſæculi atque conſuetudinis excuſari non poterant: ea enim ſæculum non ferebat. Suprà, pag. 344. *vt quod vſquam corrumpi & corrumpere queat, in vrbe viſatur.*

Ne tamquam maritum, ſed tamquam matrimonium ament. In omnibus veteribus editis, 698

quos viderim, legitur: *ne tamquam maritum*, quam germaniſſimam lectionem arbitrabar, ac meriti vocem reijciebam, vt manifeſtum Typographorum errorem. Tamen cum in omnibur Plantinianis editionibus, eandem vocem, *meritum*, conſtanter retineri animaduertiſſem, ac nuper etiam in libris Lutetiæ Pariſiorum impreſſis anno 1599. ſuſpicatus ſum, eam fortaſſe Lipſio probari, licet in notis ſuis nullum de ea re verbum dixerit. Ego autem à priſca ſcriptura non auellar. Optima enim ſententia eſt: vxores, non maritum ipſum amare, ad libidines explendas, ſed matrimonium tantùm reſpicere. Sic in vita Agricolæ, pag. 746. *Id filiæ quoque vxoríque præceperim, ſic patris, ſic mariti memoriã venerari, vt omnia facta dictáque eius ſecum reuoluant, famámque ac figuram animi, magis quam corporis complectantur.* Plinius iunior lib. 4. epiſt. 19. de vxore loquens, ait: *non enim ætatem meam, aut corpus, quæ paulatim occidunt ac ſeneſcunt, ſed gloriam diligit.*

Nec vlla orbitatis pretia. Morem arguit Romanorum. apud eos enim orbi ſenes maximis obſequijs colebantur à iunioribus, qui hæreditates ipſorum aucupabantur. adeò vt talia obſequia, quaſi pretium aliquod ſenibus eſſent ſuæ orbitatis. Quem morem ait, apud Germanos non fuiſſe. De hoc Ammianus Marcellinus libr. 14. ait: *Nunc vero inanes flatus quorumdam, vile eſſe quicquid extra vrbis pomæ-*

pomœrium naſcitur æſtimant, præter orbos, & cælibes: nec credi poteſt, qua obſequiorum diuerſitate coluntur homines ſine liberis Romæ; vt his qui patres ſunt, tamquam in capita mendicorum acerbiùs cælibes dominentur. Tacitus etiam ſuprà, pagina 322. *Romæ teſtamenta & orbos, velut indagine eius capi.* 328. *valuitque pecunioſa orbitate & ſenecta.* 356. *ſimul orbitate & pecunia inſidiis obnoxius.* 381. *ſatis pretij eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obuia haberent.* Plinius iunior lib. 4. epiſt. 15. *pleriſque etiam ſingulos filios orbitatis præmia graues faciunt.* Cic. in Parad. *Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? loquitur ad voluntatem, quicquid denunciatum ſit facit, aſſectatur, aſſidet, miratur.*

Cum defecerit, qui modò hoſtes fuerat. &c. Meliùs videtur in Ven. & alijs veteribus legi; *Cum defecere* id eſt, *epulæ.* 699

Aperit adhuc ſecreta pectoris licentia loci. Corruptum videtur illud, *adhuc.* fortè, *aperit tunc.*

Et ſalua vtriuſque temporis ratio eſt. Mutat Lipſius vocem, *ſalua*, ac legit; *& ſua vtriuſque temporis ratio eſt.* Mihi autem vulgata lectio optimum ſenſum habere videtur. Nam etiam ſi in conuiuijs compotationibúſque de grauioribus rebus Germani deliberarent, ſaluum tamen & integrũ ſobrietatis tempus remanebat, cùm eadem poſtera die retractarentur.

Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Idem ait Dio Caſſius lib. 49. *Hordeum & milium, & edunt, & potum ex eis conficiunt.* Ceruiſiam intelligit, quæ etiam hodiè in vſu frequenti eſt apud Germanos, Sarmatas, Belgas, & Anglos.

700 *Sed impetu & ira, vt inimicum, niſi quòd impunè.* Subintelligitur quidem verbum, ac plerunque à Tacito omittitur. tamen in Ven. codice additur, *niſi quod impune eſt.*

Agri pro numero cultorum ab vniuerſis per vices occupantur. Quomodo viciſſitudo hæc intelligenda eſt? An quia plerunque contingeret, agrum aliquem ab vno populo ſatietate derelictum fuiſſe, & ab alio viciſſim occupatum? Quid ſi legas, *per vicos*, id eſt, viſcatim?

701 *Arua per annos mutant, & ſupereſt ager.* Mutationē iſtam iuſſu magiſtratuum factam fuiſſe, colligitur ex Cæſare, qui lib. 6. ait; *atque anno poſt, aliò tranſire cogunt.* Ne ſcilicet agriculturæ ſtudio homines caperentur.

Vt pomaria conſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent. Cùm in omnibus melioribus libris legeretur; *& prata ſeparent*; Rhenanus, codicem aliquem, vt ait, ſecutus, mutauit, *& prata ſepiant.* Quod, ipſius pace, mihi prorſus improbatur, ac verbum, *ſeparent*, ſuo loco reſtituēdum cenſeo. Quid enim prætorum ſepes cum exquiſitiore cultura? aut quis magnus fructus prata ſepiendi?

di? ſed intelligendum eſt, populos illos, in magna ſoli vbertate atque amplitudine, ſolitos non fuiſſe, pomaria conſerere, hortos rigare, & prata à reliquis agris ſeparare, ac ſibi delectationis animique cauſa reſeruare; imò ſegeti tantùm operam laborémque inſumere. ideóque ſemper ſupererat ager.

Velut tela atque arma, bellis reſeruantur. Licet tela, & arma, plerunque ſine diſcrimine à ſcriptoribus vſurpentur, propriè tamen telis ferimus, armis tegimur. Eaſdem voces ſimiliter variat Salluſt. Catil. in oratione Cæſaris; *arma atque tela militaria à Samnitibus ſumpſimus.* Liuius lib. 22. in pugna Cannenſi; *Quingentos fermè Numidas, præter conſueta arma teláque, gladios occultos ſub loricis habentes.*

Niſi quòd ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo ac cælo acriùs animantur. Sunt qui hunc locum interpretentur: Mattiacos, cùm eundem ſemper ſolum, eandémque propriam ſedem adhuc retinerent, ideo patriæ amore, vtque bonis ſuis pacificè ac ſecurè frui poſſent, acriùs animatos, fideliores que erga Romanos eſſe, quàm Batauos; qui alienas terras incolentes, ac nihil proprium quod amitterent habentes, incurioſiùs agebant. Hic autem ſenſus, meo quidem iudicio, nullo pacto ſubſiſtit. Potiùs intelligendum eſt, Mattiacos, cùm in proprio ſolo, ac ſub eodem cælo adhuc viuerent, neque vnquam in humaniores prouincias migraſſent,

Batauis ferociores eſſe; qui locorum mutationibus, naturalem feritatem amiſerant, mitioréſque facti erant. Ideo interpretor hæc verba, *acriùs animantur*, id eſt, acriorem, ac ferociorem animum gerunt. Idem ſentire videtur Althamerus Germanus in commentario ſuo ad hunc libellum, cùm dicat; vt ſolum ipſum frigidius, & aer craſſior eſt, ita homines craſſiores, duriores, ac tolerãtiores edere. Plin. Paneg. *Quum feræ gentes, non telis magis, quàm ſuo cœlo, ſuo ſidere armantur.*

703 *Mox limite aucto, promotiſque præſidiis.* Traiani enim tẽpore, quo hũc libellum Tacitus ſcripſit, aucti erant Imperij limites, & vlteriùs quàm antea, romana præſidia promota fuerant. Tac. lib. 2. Annal. pag. 89. ait: *Exin ventum Elephantinem, ac Syenen, clauſtra olim romani Imperij, quod nunc rubrum ad mare pateſcit.* Hûc refertur etiam quod dixit libr. 4. pagina 150. *quæ tum romana copia in armis, qui ſocij Reges, quanto ſit anguſtius imperitatum*: ſcilicet, præ quàm hoc æuo Traiani. Is enim fines Imperij promouit.

704 *Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt.* Videtur legendum, *cultu mitiore.* ſuprà, pag. 690. *nulla cultus iactatio.* in vita Agricolæ, pag. 742. *cultu modicus.*

706 *Tacti ruina Cheruſcorum & Foſi.* Legendum puto, *Tracti.* Ruinæ enim proprium eſt, obuia omnia ſecum trahere, potiùs quàm tangere.

Ne

Ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Rhenano ſuſpectum viſum eſt hoc verbum, *admonuere*; adeo vt putaret, Tacitum ſcripſiſſe, *admouere*, eo ſenſu, quo apud Liuium dicitur, admouere exercitum, vel caſtra. Cui opinioni ego aures non admoueo. Et quamuis nouitas quædam ſit in Lectione vulgata, illam tamen libenter fero; vt ſit, *admonere*, vigilantem & experrectum tenere, nec quietum ſinere; ſeu potiùs, negocium faceſſere.

Sic in aliis gentibus, ſeu cognatione aliqua Sueuorum. Abeſt à Venet. codice particula illa, *ſic.* ac rectè abeſſe cenſeo. non enim ſuperuacua tantùm videtur, ſed etiam orationem confundere. 707

Centum pagis habitatur. Idem Venet. *habitantur.*

Dicatum in eo vehiculum veſte contectum. Ex eodem Venet, reſtituenda videtur copula; *dicatúmque in eo*, &c. 708

Quatenus Danubio prætexitur. Venetus, & alij veteres editi, quos viderim, habent; *quatenus Danubio pergitur.* Quam lectionem, conſenſu librorum confirmatam, ego non improbauerim; vt, Danubio pergere, idē ſit, quod ſecus Danubium pergere. Niſi fortè legere malimus, *porgitur*, pro, *porrigitur.* quod minus placet. 709

Marcomanis, Quadiſue vſque ad noſtram memoriam Reges manſerunt. Videtur legendum, *Quadiſque.*

Sed deos interpretatione romani Caſtorem Pollucemque nominant. Venet. *interpretatione romana.*

710 *Paulo iam adductius, quam cetera Germanorum gentes.* Idem habet, *adductius.* Quod Lipſio æque probatur.

Nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. Suprà, pag. 464. dixit; *precarium ſeni imperium, & breui tranſiturum.* infrà, pag. 727. *precario mox præfuit.*

Quod extremus cadentis iam ſolis fulgor in ortus edurat. Legendum puto, *in ortum.*

Illuc vſque (& fama vera) tantùm natura. Ergo iam dextro, &c. Verè vitioſus locus, ſi quis alius in his libris. neque ego mederi profiteor, ſed diuinationem quandam meam, licet valdè abhorrentem, proferam: quæ tamen à corruptorum verborum veſtigijs non longè recedit. Ea eſt huiuſmodi: *Illuc vſque & fama: verùm tantùm tradita exponam. Dextro Suenici maris*, &c. Quaſi dicat: ſic aiunt, ego autem non affirmauerim, ſed tantùm quæ mihi tradita ſunt, referam. Simile aliquid dixit ſuprà, pagina 251. *Sed nihil compoſitum miraculi cauſa, verùm audita ſcriptáque ſenioribus tradam.*

711 *In tantum non modo à libertate, ſed etiam à ſeruitute degenerant.* Degenerant ſcilicet à libertate, quia ceteri Germani ferè omnes liberi,

beri, hi ſerui: degenerant à ſeruitute, quia ſeruientes populi, Regibus, ideóque hominibus, ſeruire ſolent, hi autem feminis.

Procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sar- 712
matarum habitum fœdantur. Rhenanus, atque etiam Althamerus, legendum putant; *ceterùm connubiis mixtis.* Mihi autem vulgata lectio magis probatur, cùm veriſimile ſit, non à plebeijs hominibus vxores ex Sarmatia vſque ductas, ſed à proceribus tantùm. & ideo ait, mixtis procerum connubijs, id eſt, inter proceres Baſtarnas & Sarmatas.

Securi aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos, &c. In fœda enim paupertate, ſecuri aduerſus raptores furéſque agunt, quibus nihil quæſtus apud eos eſt. Et dum agriculturæ non ſtudent, ſecuri etiam ſunt aduerſus deos, id eſt, aduerſus grandines ac tempeſtates, ceteráſque cœli iniurias, quæ ſegetes, atque omnes alios terræ fructus aliquando deſtruere ſolent.

Rem difficillimam aſſecuti ſunt, vt illis ne voto quidem opus ſit. Horum verborum ſenſus videtur; has barbaras gentes, non ſolùm ciuiliorem humaniorémque vitam penitus aſpernari, ſed nullarum rerum deſiderio teneri, quod difficillimum habetur inter mortales.

Agricolæ Vita.

716 N*I incurſaturus tam ſæua & infeſta virtutibus tempora.* In veteribus libris legitur, *ni curſaturus:* quod emendauit Rhenanus, *ni incurſaturus*; hoc ſenſu: Tacitum non petiturum fuiſſe veniam, niſi incidere cogeretur in Domitiani tempora tam ſæua, ac virtutibus infeſta. Mihi autem, neque verbum, *incurſare*, hoc ipſum exprimere ſatis aptè videtur, neque in Rhenani ſenſu vllam vim ineſſe. Nam quæ cauſa veniæ opus erat ei, qui tantum dicat, ſe in ſæua tempora ſcribendo incaſurum eſſe? ſanè poteſt adulatoriè, & abſque obtrectatione, tempora illa percurrere. Ideo, aut interpretandum eſt verbum illud, *incurſare*, boum, vel arietum more, id eſt, impetere, vel inceſſere; aut certè legendum, vt Lipſius dubitat, *ni incuſaturus.* Excuſatio enim propriè conuenit ei, qui vitia moreſque incuſaturus eſt, ac ſcripta ſua maledictis implere cogitat cogitúrque: cùm meritò timeat, ne viuentes ac poſteri, aliena malefacta ſibi obiectari putent; vt lib. 4. Annal. idem Tacitus dixit, pag. 168.

717 *Augeátque quotidie facilitatem imperij Neruas Traianus.* Vox, *facilitatem*, à Lipſio non improbatur; is tamen mallet, *felicitatem*. quod Venet codex confirmare videtur, qui habet, *facilitatem.*

Quid

Quid ſi per quindecim annos, &c. tempus ſcilicet, quo Domitianus regnauit.

Vtrumque Auum procuratorem Cæſarum ha- 718
buit. Quale fuerit Procuratoris ius, declarat Tacitus Annal. lib. 4. pag. 157. ait enim ibi in perſona Tiberij: *non ſe ius Procuratori, niſi in ſeruitia, & pecunias familiares dediſſe.* Iidem poſtea appellati fuerunt, *Rationales*, vel, *fiſci procuratores*; vt paſſim legitur apud Ammianum Marcellinum, Iulium Capitolinum, Lamprîdium, & alios.

Quòd ſtatim paruulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat. Ven. & alij veteres; *habuerit*.

Studium philoſophiæ acrius vltra quàm conceſſum Romano & Senatori hauſiſſe. Tollit Lipſius vocem, *acrius*, tamquam redundantem & gloſſema. At ea mihi potius corrigenda videtur: auſimque affirmare, ſcripſiſſe Tacitum, *ſtudium philoſophiæ ac iuris, vltra quàm conceſſum*, &c. Clarum eſt enim, illius temporis Oratores, iuri quoque operam dediſſe. Idem Tacitus de ipſo Agricola infrà, pagina 741. dixit: *fruſtra ſtudia fori, & ciuilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam altiùs occuparet.* Item in dialogo de cauſis corruptæ eloquentiæ, pagina 778. legitur: *Ideóque & iuris ciuilis ſcientiam veteres Oratores comprehendebant, & grammatica, muſica, & geometria imbuebantur.* Clariùs adhuc pag. 780. *qui ſi for-*

tè hoc audierint, certum habeo dicturos, me dum iuris & philoſophiæ ſcientiam, tamquam Oratori neceſſariam laudo, ineptiis meis plauſiſſe.

Retinuítque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum. Obſcurè dictum. tamen videtur ſenſus: Agricolam temperauiſſe, moderatúmque eſſe, ſcientiam, ac ſapientiam ſua; adeo vt non quicquid ille ſciret, oſtentauerit, aut iactauerit.

719 *Nihil appetere ob iactationem.* Cùm à meo Veneto abſit particula, *ob*; malim cum Rhenano legere: *nihil appetere iactatione.* quod Lipſio etiam probatur.

Niſi quòd in bona vxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpæ eſt. Præclara ſententia, peſſimè à librarijs affecta fuit, cui tamen ſpero medicinam, imò vitam me attuliſſe. Nam cur maxima culpa eſt in malis vxoribus, niſi quia naturali quodam ingenio bonæ plerunque ſoleant ac debeant eſſe? Quod cùm ita ſit, laudem quidem merentur bonæ, ſed non magnam. Conſideranda eſt etiam hîc particula illa, *niſi*, quæ aliquid exceptionis ſemper affert. Si quis ergo diligenter attendat, fatebitur, omnino legendum eſſe: *niſi quòd in bona vxore tanto minor laus, quanto in mala plus culpæ eſt.* Nihil certius, Similis ſententia eſt apud Philoſtratum in vita Apollonij, lib. 6. cap. 11. Ait enim latinè conuerſus: *Neque prudentiæ opus eſt,*

eſt, ſtultè aliquid non cogitare: neque fortitudinis, aciem non relinquere: neque temperantiæ, in mœchorum turpitudines non incidere: nec omnino laude dignum eſt, quod non eſſe malus videaris: omne enim quod æquè ab honore pœnáque diſtat, virtus non eſt.

Mox inter quæſturam ac tribunatum plebis. 720
Etiam Venetus addit, *inter præturam, quæſturam, ac tribunatum plebis.* quod falſum videtur, nam Prætor nondum fuerat, & ſtatim de ipſa Prætura ſubijcit.

Ludos & inania honoris, modo rationis atque abundantiæ duxit. Sunt qui *abundantiæ* vocem interpretentur, magnificentiam; quaſi Agricola duxerit ludos, temperamento quodam adhibito, intra terminos à ratione conſuetudinéque præſcriptos, ac magnificum liberalémque apparatum. Ego autem hanc non fuiſſe Taciti mentem arbitror: ac potiùs intelligo, abundantiam illam, ad ipſius Agricolæ opes ac rem familiarem referendam eſſe: vt ſcilicet ludos atque inanes honores exercuerit, modo quodam conuenientis rationis, & ſuarum facultatum. Idem ſenſiſſe viſi ſunt docti illi viri, qui Latinæ linguæ Theſaurum compilauerunt, vt ibidem legitur in voce, *Abundantia.* Quæ tamen in hoc loco apud me aliquantulum ſuſpecta eſt.

Dum in templo (Liguriæ pars eſt) populatur.

Mercerus monet, à Sauilio Anglo reſtitutum fuiſſe: *dum Intemelio.*

Vicesimæ legioni tardè ad ſacramentum tranſgreſſa. Erat hæc legio in Britannia. Ergo ſubintelligendum eſt, eò miſſum fuiſſe Agricolam, licet Tacitus non exprimat. Sed ex ſequentibus apparet.

Quippè Legatis quoque conſularibus nimia ac formidoloſa erat. nec Legatus prætorius ad cohibendum potens. Sub Principibus (vt ait Lipſius de militia rom. lib. 2. dial. 11. & lib. 5. dial. 18.) duo genera Legatorum erant, conſulares, & Prætorij: quorum ille toti exercitui præerat, iſti legionibus ſingulis. idque Auguſtus inuenit. quaſi enim ille vnus iam Imperator eſſet, rem adminiſtrabat per Legatos. nec alio nomine vocabantur, eóque nec triumphi ius habebant, cùm omnia gererent auſpicijs alienis. Ideo in ſcriptoribus crebro legas, *Legatos conſulares*, aut compendio, *conſulares.* Item *Legatos prætorios*, ſiue, *legionum.* Explicat Dio libr. 52. in Oratione Mœcenatis, & etiam libr. 53. vocátque hos poſteriores, *Subprætores*, vel, *Subpræfectos*, qui ipſi poſtea, *Duces*, à Latinis dicti. Apud Suidam legitur: *liberauit vrbem intus quæſitus fortunio, Legatus copiarum Miſiæ, quos Duces appellant.* Lampridius in vita Alexandri Seueri: *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt. Tribunis, aut Ducibus niſi milites anteire noluit: iuſſitque, vt ante Tribunum quatuor milites ambularent,*

ante

ante Ducem ſex, ante Legatum decem. Ducem intelligit, qui olim Legatus dictus, nempè Legioni præpoſitum. Legatum autem, id eſt, conſularem, ſeu exercitus primarium Ducem.

Habuerunt virtutes ſpatium exemplorum. Li- 721
pſius legit, *ſpatium & exemplum.* & de Ceriale tantùm intelligere videtur, qui ſcilicet ſpatium campúmque exercendis virtutibus dederit. Ego vulgatam lectionem probam cenſeo, vt de vtriuſque virtutibus loquatur, quæ ſpatium habuerint, multa de ſeipſis exempla prodendi. Ideo ſtatim ſequitur, de Cerialis humanitate ac facilitate erga Agricolam, & de huius modeſtia atque obſequio erga illum.

Spatio ac cœlo in orientem Germaniæ, in occi- 722
dentem Hiſpaniæ obtenditur. Quid ſibi velint verba illa, *ſpatio ac cœlo*, nõ facilè liquet. Tamen ego arbitror ſenſum eſſe: Britanniam Germaniæ, Hiſpaniæque obtendi, non quidem ex proximo, ſed ſpatio ac cœlo mediante, id eſt, per longum interuallum maris atque aëris. Quoniam autem de Gallia, quæ vicina eſt, idem dicere non potuit, propterea ſequitur: *Gallis in meridiem etiam inſpicitur.*

Etiam iugis atque montibus inſeri, velut in ſuo. 723
Licet interpretari poſſit, mare in iugis montibúſque quaſi imperium exercere, tanquam in ſuo proprio alueo; ineptum tamen eſſet. Ideo ſuſpicor corrupta eſſe verba illa, *velut in ſuo*, ac fortaſſe legendum, *velut inſulis:* præſertim re-

ſpectu verbi, *ambire*. Vt ſi diceret: Inſeritur aliquando montibus, eóſque ambire tentat, ac ſi eſſent inſulæ.

Et poſitu contra Hiſpaniam. Ita emendauit Rhenanus, cùm antea legeretur, *poſita*. Ego potiùs velim, *poſitus*, id eſt, poſitio; cùm in primo etiam caſu dixerit, *colorati vultus*, &, *torti crines*. Sic ſuprà, pag. 214. *poſitus ſiderum.*

724 *Rarus duabus tribúſque ciuitatibus.* Legendum videtur, *tribúſue.*

Infráque cœlum & ſidera nox cadit. Si quis locus obſcurè à Tacito exprimitur, hic vnus eſt. Ad cuius clariorem explanationem, notandus eſt apud illum huius præpoſitionis, *infra*, vſus. vt lib. 13. pag. 297. *ſed neque Neroni infra ſeruos ingenium.* lib. 14. pag. 362. *Cetera inuidiam augent, quæ quidem, vt omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet.* Ita hîc ait: nox infra cœlum & ſidera cadit. id eſt, propter ſolem illi horizonti vicinum nox adeò clara eſt, vt inferior ſit cœlo ac ſideribus. quaſi dicat, tantum obſcuritatis noctem non habere, vt ſidera mortalibus detegere valeat. Aliquid ſimile dixit in libello de moribus German. pagina 710. *extremus cadentis iam ſolis fulgor inortus edurat, adeò clarus, vt ſidera hebetet.* Hunc Taciti locum imitatus eſt is, qui ad Conſtantinum Conſtantij filium ſcripſit Panegyricum. De Britannia enim loquens, ait: *Longiſſimæ dies, & nulla ſine aliqua luce noctes: dum illa litorum extrema planities*

nities non attollit vmbras, noctiſque metam cœli & ſiderum tranſit aſpectus.

Alterius manus centuriones, alterius vim & contumelias miſcere. Rectè quidem Lipſius, qui reſtituit: *alterum, manus, centuriones; alterum, vim & contumelias, miſcere.* Vt ſit ſenſus: Legatus; manus militum & centuriones immittit; procurator, vim & contumelias infert. Niſi fortè magis placeat legere; *manus centurionum,* id eſt, verbera centurionum. At ſi diligentiùs animaduertas, ſuſpicaberis, hæc ad ipſos præpoſitos non referri, cùm de illis iam dixerit, alterum in ſanguinem, alterum in bona ſæuire: imò potiùs ad ipſorum diſcordiam & concordiam, æquè ſubiectis exitioſam, de qua re nunc ſermo eſt. vt ſcilicet illa, manus centurionum; hæc autem, vim, & contumelias miſceat. ideo maioris vitij ſuſpectus eſt hic locus. 726

Iam ipſos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Sic lib. 2. hiſtor. pag. 534. *Sed & meliorem in bello cauſam, quàm in pace habemus: nam qui deliberant, deſciuerunt.*

Miſſus Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior, & delictis hoſtium nouus. Leui mutatione legerem & diſtinguerem; *tamquam exòrabilior. Qui delictis hoſtium nouus, eòque pœnitentiæ mitior, compoſitis prioribus,* &c.

Et pleriſque cuſtodiri ſuſpecta potiùs videbatur. 728 Senſus à nonnullis traditus eſt huiuſmodi; Videbatur pleriſque, vt Agricola potiùs obſer-

uaret, quorſum euaderet ea quæ de Britannis ſuſpicabatur. Alia autem mihi eſt ſententia: pleroſque conſuluiſſe Agricolam, vt præſidijs cuſtodiiſque ſuſpecta loca potiùs firmaret, quàm vlteriùs cum exercitu progrederetur.

729 *Omnia ſcire, non omnia exequi.* id eſt, omnia peccata militum ſciebat, ſed non omnia puniebat. Obſeruauit Guilelmus Barclayus Anglus, ab alijs etiam vſurpatum fuiſſe hoc verbum, exequi, pro punire. Sic Suetonius in Iulio cap. 67. *Delicta neque obſeruabat omnia, neque pro modo exequebatur.* Tertull. lib. 1. aduerſus Marcionem, cap. 27. *quid denique adulantiùs, quàm delicta non exequi?*

Officiis & adminiſtrationibus potiùs non peccaturos, &c. Cùm defectus ſit locus, putaui, fortè legendum eſſe: *præficere adminiſtrationibus.*

Circumciſis quæ in quæſtum reperta, ipſo tributo grauiùs tolerabantur. Tranſpoſuit Rhenanus relatiuum, *quæ*, contra veteres libros, qui habent; *circumciſis in quæſtum reperta, quæ ipſo tributo*, &c. Quod mihi rectius videtur, dummodo legas, *repertis.*

730 *Paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum.* Legendum videtur, *deſcenſum.*

731 *Vt bonis comis, ita aduerſus malos iniucundus*, Venetus codex addit; *vt erat bonis comis.*

Secretum & ſilentium eius non timeres. Tacitè mordet Domitianum, de quo ſic ait infrà, pagina 741. *Talibus curis exercitus, quódque ſæua cogita-*

gitationis indicium erat, ſecreto ſuo ſatiatus. De eodem etiam Plin. Paneg. *non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretúmque captantem, nec vnquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi vt ſolitudinem faceret.*

Nam Glota & Bodotria diuerſi maris æſtu per immenſum reuecti. In Ven. legitur; *diuerſi maris æſtibus per immenſum reuecta.* Quòd ſi tantúmodò mutemus, *reuecta*, in, *reuectis*, optimè, ni fallor, ſe habebit hic locus. Videtur enim iſthmum ibi fuiſſe inter duo maria, ergo & duo æſtus diuerſi maris erant. qui æſtus, ſiue fluxus, per immenſum latiſſimumque pelagus reuehebantur, adeò vt anguſtum ibi terræ ſpatium relinquerent.

Copiis inſtruxit, in ſpem magis, quàm ob formidinem. Lipſius legit, *in ſpeciem magis*; quod mihi falſum videtur. Nam ſi in ſpeciem tantùm, & ad arma romana oſtentanda, illam Britanniæ partem copijs inſtruxiſſet; certè ſpecies illa abſque aliqua formidine non fuiſſet. Verius ergo eſt, Agricolã id feciſſe, *in ſpem*, ſcilicet Hiberniæ potiundæ, vt oſtendunt etiam ſequentia verba.

Siquidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hiſpaniam ſita. Caue intelligas, in medio ſitam, id eſt, æquè diſtantem. nam Britanniæ vicina eſt, ab Hiſpania verò longiſſimè abeſt. ſed in medio, hîc ſignificat, in eodem maris ſpatio ſita.

Ampla ciuitate trans Bodotriam ſita. Cùm in 732

veteribus omnibus legatur; *amplas ciuitates trans Bodotriam ſitas*; Lipſius repoſuit Lectionem, quam nunc recentiores libri præferunt. Quæ quidem, vt à Codicum fide, ita etiam ab hiſtoria ipſa recedit. Nam ſic, inferretur, vnam tantùm ciuitatem trans Bodotriam fuiſſe; cùm & magnam illam Caledoniæ prouinciam plures ciuitates, ſeu populos, habuiſſe, veriſimile ſit, & ipſe Tacitus teſtatur, qui pag. ſequ. ait: *cœtibus & ſacrificiis conſpirationem ciuitatum ſancirent.* Item paulo poſt: *legationibus & fœderibus, omnium ciuitatum vires exciuerant.* vbi clarum eſt, non de integra Britannia, ſed de ſola Caledonia ſermonem eſſe. Veterem ergo Lectionem reſtituendam arbitror; atque vbi legitur, *portus claſſe explorauit*; Rhenani iudicium ſecutus, corrigo, *prius claſſe explorauit.* Iuſſit ſcilicet Agricola, vt claſſis litora Caledoniæ circumueheretur, atque omnia loca, quæ à mare non longè abeſſent, exploraret.

Maiore fama, vti mos eſt de ignotis, oppugnaſſe vltrò. Lipſius olim ſuſpicabatur legendum, *oppugnantes*, vel, *oppugnauere.* nouiſſimè autem cum Rhenano, *oppugnare.* Ego vtcumque vulgatam lectionem defendi poſſe arbitror, ſi intelligamus, verbum, *oppugnaſſe*, regi à voce, *fama:* quaſi aucta fuerit fama ex eo, quod Britanni vltrò oppugnaſſent Romanos. Et ideo ſic diſtinguerem: *paratu magno (maiore fama, vti mos eſt de ignotis, oppugnaſſe vltrò) raſtella adorti,*

orti,&c. Durior tamen hic ſenſus videtur, quàm vt mihi ſatisfaciat.

Ac ne ſuperante numero & peritia locorum circumirentur. Venet. codex, & alij veteres habent, *circumiretur*, vt ad Agricolam referatur. quod rectius videtur, nam aliàs aliquid ambiguitatis haberet,

At Britanni, non virtute, ſed occaſione & arte ducis rati. Cùm aliquid huic ſententiæ deſit, Lipſius ſupplet, *& arte ducis victos rati.* ex ingenio, non ex libris. Ego *ducis* vocem redundare cenſeo, nam rectè ſubintelligitur, & arte hoſtium. Ideo leui, neque aberrante mutatione, ex ipſa voce, *ducis*, reſtituerem, *victos*; vt legatur: *ſed occaſione & arte victos rati.* 733

Et vno remigante, ſuſpectis duobus, libri veteres, *remigrante.*

Receſſus ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit. libr. 2. hiſtor. pagina 544. dixit: *abditis pecuniis per occultos aut ambitioſos ſinus.* Vbi Lipſius notat, huic voci, *ſinus*, vim ſubeſſe fraudandi, ſubtrahendi, occulendi. pag. 614. *exquirique nouos ſinus, & varia prædandi vocabula.* 562. *Sed opes Cremonenſium in ſinu præfectorum legatorúmque fore.* 735

Nihil niſi fluctus & ſaxa, & interiores Romani. Venet. habet, *inferiores*. Valdè ergo amplector Rhenani correctionem, *infeſtiores*. quam & Lipſius probat.

Recentiſsimus quiſque ſeruorum, & conſeruis ludibrio eſt. Malim, *etiam conſeruis.* quaſi dicat, non ceteræ tantùm familiæ, ſed conſeruis etiam.

736 *Primo ſtatim congreſſu vnde oſtendamus, quos ſibi viros Caledonia ſepoſuerit.* Lipſius corrigit: *prima ſtatim congreſsione oſtendamus.* Ego potiùs legerem interrogatiuè: *primo ſtatim congreſſu non oſtendemus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?* Nam & aptius videtur, cùm ſequentia quoque interrogatiuè pronuncientur; & Tacito familiarior eſt vox, *congreſſus*, quàm *congreſsionis.* Sic infrà, pag. 738. *Ac primo congreſſu eminus certabatur.*

Noſtris illi diſceſſionibus ac diſcordiis clari. Mallem cum Rhenano legere, *diſſenſionibus.*

Senum colonia. Suprà, ad pag. 719. vbi legitur, *incenſæ coloniæ*, Lipſius emendauit, *incenſa colonia*, cùm vna tantum Romanorum colonia in Britannia eſſet. Ergo eadem ratione hîc legendum eſt, *Senum colonia.*

737 *Neque me militum, neque vos ducis pœnituit.* hæc potiùs ad ſuperiora videntur referenda. ideo diſtinguo: *opus fuit; neque me militum*, &c.

738 *Quomodo ſiluas ſaltuſque penetrantibus fortiſsimum quodque animal robore.* Venet. habet, *animal ruere.* Quod ambigo, num rectum ſit: quaſi dicat, non pelluntur, ſed contra ipſos venatores ruunt. Sanè Tacitus hoc verbum

vſur-

vſurpare ſolet, ad audaciam ardorémque oſtendendum. vt paulò infrà: *inſtinctos ruentéſque ita diſpoſuit.* Item pag. 740. *quidam inermes vltrò ruere, ac ſe morti offerre.*

Nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas debellandi. Quid ſibi velit verbum, *debellandi*, non video. nam ſi rectum eſſet, potiùs dicendum erat, cauſas non debellandi, hoc eſt non debellatæ prouinciæ: nec quis illud hîc inculcauerit ſcio, cùm in veteribus editis, atque in Veneto præſertim, legatur, cauſas rebellandi. quæ proba lectio eſt. Duo enim imputabantur ijs, qui Britanniam obtinuerant: ſcilicet, moras belli, & quòd propter iniurias acerbitatéſque aduerſus Britannos, cauſam illis præbuiſſent rebellandi contra Romanos. Quæ nunc Agricola oſtendit, non potuiſſe, nec ſibi, nec exercitui ſuo imputari, ſed prioribus tantùm ducibus. De rebellione Britannorum fuſiùs ſcripſit Tacitus libr. 14. pag. 350. & ſequentibus. quam Romanorum auaritia ortam fuiſſe tradit.

Inſtinctos ruentéſque ita diſpoſuit. Lipſius ad oram libri ſcripſit, *inſtructos.* Ego nihil mutarem. Idem Tacitus lib. 2. Annal. pagina 80. ait: *His vocibus inſtinctos exercitus, propriè quoque cauſæ ſtimulabant.* Liuius libr. 5. *diuino ſpiritu inſtinctus.* Neque inſtructi adhuc erant milites. ideo ſequitur, *diſpoſuit*, id eſt inſtruxit ita inſtinctos.

Ingens victoriæ decus, citra romanum ſanguinem bellanti. Venetus habet, *bellandi.*

739 *Complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant,* Quomodo *in aperto* pugnare non poterant? nam enormes gladij non habiles niſi ad apertam pugnam, neque ipſi Britanni aliud quærebant, atque Agricola id maximè cauit, ſuiſque iuſſit, vt rem ad mucrones ac manus adducerent. Corrupta ergo ſuſpicor verba illa, *in aperto*; ac fortaſſe legendum, *in arcto*, vt olim Franc. Medici placuit.

Inæqualibus locis hærebant: miniméque equeſtris ea pugnæ facies erat. Corruptiſſimus eſt hic locus in veteribus libris, & contra autoris & hiſtoriæ mentem reſtitutus à Rhenano fuit. Nam verba hæc indicant, illam quidem verè equeſtrem aciem fuiſſe, nec talem apparuiſſe. cùm contrà ſit ſenſus, pedeſtrem aciem, couinarijs & curruum equis tantùm mixtam, faciem equeſtris pugnæ oſtendiſſe. Clarum enim eſt, equites hoſtium tum non adfuiſſe, cùm iam de illorum fuga dixerit. In Venet. codice ita legitur: *inæqualibus locis hærebant, miniméque equeſtres. Ea enim pugnæ facies erat: cùm ægra diu aut ſtante ſimul,* &c. Ex quibus verbis ego leuiſſima mutatione reſtituo: *inæqualibus locis hærebant, miniméque equeſtribus; ea enim pugnæ facies erat.* Ait Tacitus, locos illos inæquales, minimè equeſtres fuiſ-

ſe,

ſe, id eſt, ad equorum pugnam non opportunos. Sequentia in eodem mendo per me relinquuntur.

Digredi paulatim, ac circumire terga vincentium cœperant. Lege, *degredi.* quippe ex ſuperiori loco. Vide quæ ſuprà notaui, ad pag. 178.

Et aliquando etiam victis ira virtúſque. Sic 740
Virg. 2. Æn. *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.*

Vnde proximo latere Britanniæ lecto omni redierat. Puto legendum: *vnde proximo litore Britanniæ lecto, omnis redierat.* 741

Si militarem gloriam alius occuparet. Licet in nouiſſimis ſuis notis Lipſius nihil dicat, tamen in antiquioribus docuit, legendum eſſe, *altius.* quod mihi magis probatur, quàm, *alius.*

Illuſtris ſtatua honorem, & quicquid pro triumpho datur. Triumphalis ſtatuæ meminit etiam 742
libr. 1. hiſtor. pagina 480. *M. Aponius Mæſiam obtinens, triumphali ſtatua; Fuluius Aurelius, & Iulianus Titius, ac Numiſius Lupus, Legati legionum, conſularibus ornamentis donantur.* Poſtquam enim in Principum poteſtatem romana reſpublic. ceſſit, Principes ius triumphandi ſibi ipſis reſeruarunt, ducibus verò triumphalia ornamenta, pro triumpho, conceſſerunt: id eſt, ſupplicationem imperatoriam

toris appellationem, veſtem & coronam triumphalem, ſtatuam, ceteráque triumphantium inſignia. ijs tamen curru per vrbem vehi, ac legitimam triumphorum pompam ducere, non erat permiſſum.

Ac peßimum inimicorum genus laudantes. Hiſt. lib. 1. pag. 471. *Secretis eum criminationibus infamauerat, & quò incautior deciperetur, palam laudatum.*

743 *Aderat iam annus, quo Proconſulatum Aſiæ & Africæ ſortiretur.* Lipſius legit, *Aſiæ aut Africæ.* At Mercerus ait, rectè ſe habere. nam Aſiam & Africam ſortiri, ſignificat, ſorte ducere, vtram earum regeret.

Nec erubuit beneficij inuidia. Intellige, beneficium hîc ironicè poſitum, pro iniuria. Eripiebat enim Domitianus prouinciæ adminiſtrationem Agricolæ; ac tamquam beneficium accipi volebat, quaſi otio & quieti illius conſuluiſſet.

744 *Et quò obſcurior, eò irreuocabilior.* Obſcura enim diſſimulatáq; ira, placari ac mitigari ab alijs non poteſt. Idem ferè dixit de Tiberio, Annal. lib. 1. pag. 12. *In Haterium ſtatim inuectus eſt: Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, ſilentio tramiſit.* Hiſt. lib. 3. pag. 582. *Inde graues ſimultates, quas Antonius ſimplicius, Mucianus callidè, eóque implacabilius nutriebat.*

Quo plerique per abrupta, ſed in nullum rei poſt vſum. Emendaui olim; *ſed in nullum reip. vſum.*

vſum. Quod Mercero etiam poſtea in mentem venit.

Securus iam odij, & qui facilius diſsimularet gaudium, quàm metum. Significat hîc, *ſecurus*, quaſi extra curam, vel ſeorſum à cura, ſeu cura ſolutus. Domitianus enim Agricolam oderat, quia ſibi ex illius virtutibus timebat. At eo mortuo, euanuerat iam odium, & in eius locum ſucceſſerat gaudium; quod is facilè diſſimulabat, cùm non tam facilè diſſimulare potuiſſet odium ac metum. Sæpè in eadem ſignificatione vſurpata eſt à Tacito vox iſta, *ſecurus*, vel, *ſecuritas*. vt pagina 74. *Securi omnes aliena ſubſidia expectabunt*. 128. *in ſecuritatem compoſitus* 133. *ſecuriorem luxum fecere*. 237. *tantum illi ſecuritatis nouiſsima fuit*. 498. *ſecurum hoſtem, ac ſucceſſu rerum ſecordius agentem inuadunt*. 575. *apud auidos periculorum, & decoris ſecuros*. vbi libri veteres habent, *dedecoris*, vt dixi. 721. *caſtrenſis iuriſdictio ſecura & obtuſior*. 727. *cùm milites ad ſecuritatem, hoſtes ad occaſionem verterentur*. Sic etiam Quintil. lib. 8. *interim vitium videri poteſt, in quod ſæpè etiam incidit Cicero, ſecurus tam paruæ obſeruationis.* Horatius epiſt. 1. lib. 2.

Geſtit enim nummum in loculos demittere,
poſt hoc
Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.

Augurio votiſque apud noſtras aures ominabatur. Libri veteres conſtanter addunt vocem; 745

quod augurio votiſque, &c. quam Rhenanus ſuſtulit, & vt mihi videtur, immeritò. Alius enim ſenſus eſt; & fortaſſe aptior: vt prima illa verba, *durare*, & *videre*, reſpiciant id quod poſtea ſequitur, *ſolatium tulit*. Sic igitur hunc locum conſtruendum & interpretandum cenſeo: Nam ſicuti durare in hac beatiſſimi ſæculi luce, ac principem Traianum videre (quod augurio votiſque apud noſtras aures ominabatur) grande ſolatium Agricolæ fuiſſet, ita feſtinata mors illud ipſum grande ſolatium ei attulit.

Et intra Albanam villam ſententia Meſſalini ſtrepebat. Hic quoque libri veteres, voce ſunt auctiores: *& intra Albanam arcem vilā ſententia*, &c. Reſtituendam ergo arbitror vocem, *arcem*, à Rhenano expulſam, ac legendum: *& intra Albanam arcem nulla ſententia Meſſalini ſtrepebat.* Vt enim exemplis confirmet Tacitus, felicem Agricolam obijſſe, oſtendit, eo tempore nullam ferè crudelitatem Domitiani auditam. Ideò ait, Carum Metium, pernicioſiſſimum mox accuſatorem, vnum tantùm reum oppreſſiſſe: Adhuc intra Arcem Albanam, quò Domitianus ſæpiſſimè ſe recipiebat, ac ſæua multa machinabatur, nullam ſententiam à Meſſalino iudice latam, ac poſtea multas: Atque ipſum Maſſam Bebium, qui inter acerrimos accuſatores connumerabatur, tunc inter reos fuiſſe. Huius Bebij Maſſæ meminit

etiam

etiam libr. 4. hiſtor. pag. 639. his verbis: *Bebius Maſſa è procuratoribus Africæ, iam tunc optimo cuique exitioſus, & in cauſas malorum quæ mox tulimus, ſæpius rediturus.*

Sed mihi filiáque, præter acerbitatem parentis erepti. In Venet. aliiſque veteribus legitur: *ſed mihi filióque eius.* fortè, *ſed mihi filiáque tuæ.* 746

Excepiſſem certè mandata voceſque. Lege, *excepiſſemus.* vt ad Agricolæ quoque filiam, Taciti vxorem, referatur: cùm poſtea dicat, *figeremus.* fortè ſcriptum erat, *excepiſſem'*, vnde facilis error.

Nobis tam longa abſentiæ conditione, ante quadriennium amiſſus es. Lipſius ad huius libelli principium, ſumit ex his verbis argumentum temporis, quo illum Tacitus ſcripſerit, id eſt, quadriennio poſt Agricolæ obitum. At ego aliter verba hæc intellexeram: Tacito ſcilicet videri, cùm tempore mortis Agricolæ quadriennio abfuiſſet, neque illum toto ſpatio vnquam vidiſſet, perinde ſibi eſſe, ac ſi Agricola ante quadriennium mortem obiiſſet.

Omnia ſine dubio, optima parentum aſſidente amantiſſima vxore. Corrige, Veneti codicis iuſſu, *optime parentum*; ac de Agricola ipſo intelligas, quem optimum parentem vocat. Nam Agricolæ vxorem hîc tamquam matrem laudare, valdè abſurdum eſſet, cùm mox eam tamquam vxorem amantiſſimam laudet.

Paucioribus tamen lacrymis compoſitus es. Sic hiſtor.lib. 1.pag. 460. *Piſonem Verania vxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Criſpina filia, compoſuere.* Horat.ſerm.lib. 5. Sat. 9. *haud mihi quiſquam, Omnes compoſui.* id eſt, ſepeliui.

Nos domum tuam ab infirmo deſiderio, &c. Reſtituenda videtur copula ex Ven.codice; *nóſque domum tuam.*

DIAL. DE CAVSIS CORRVPTÆ ELOQVENTIÆ.

Licet hic libellus, à Tacito ſcriptus non habeatur, cùm longè ab illius ſtilo abſit: tamen quia inter eius opera edi ſolet, putaui non ab re eſſe, hæc pauca in eo adnotare.

735 *Non ſine aliqua trepidatione animus attulerit:* fortaſſe rectiùs, *trepidatione animi.*

Equidem, vt de me ipſo fatear. Nec malè in Veneto legitur, *de me ipſe.*

754 *Nouis & recentibus, quàm remotis & obliteratis exemplis vtor.* Ita libri omnes, quod ego non ſpernerem, licet aliquis in margine libri repoſuerit, *notis & recentibus.* Nam Tacitus hoc idem dixit, lib. 4. hiſt. pag. 650. *donec noua & recentia iura in vetuſtatem conſuetudine vertantur.* In hoc libello etiam ſæpè ſcriptum inuenitur, *vetera & antiqua.*

756 *Quoniam mediocres poetas nemo nouit, bonos pauci.* Si mediocres nemo nouit, mulò minùs bonos.

bonos. An plus eſt, mediocrem eſſe, quàm bonum? Sententia videtur exigere, vt ſic tranſponantur verba: *quoniam bonos poetas nemo nouit, mediocres pauci.*

Immanes illos ad pugnam natos lacertos. Libri veteres addunt copulam, *& ad pugnam natos.* 757

Nam ſtatum cuiuſque ac ſecuritatem meliùs innocentia tueor, quàm eloquentia. Lipſius corrigit; *nam ſtatum hucuſque ac ſecuritatem.* Ego leuiori mutatione potiùs legerem: *nam ſtatum cuiuſque ac ſecuritatem meliùs innocentia tuetur, quàm eloquentia.* 758

Quæ & ingenium alunt & eruditionem, & literarum, &c. Ven. habet, *eruditiones.* Rectè ergo reſtitues; *& eruditionis & literarum*; vt Lipſius etiam probat. 761

Non multo plures quàm CCC. *annos intereſſe.* Mercerus veriori calculo affirmat legendum eſſe, CCCC. *annos.* 763

Cùm vix in cortina quiſquam aſſiſtat, qui elementis ſtudiorum, & ſi non inſtructus, at certè imbutus ſit. Sententia hæc negatiuam neceſſariò requirere videtur; *imbutus non ſit.* 766

Ipſos quoque neruos rubore tegit, & decore commendat. Ven. habet: *Ipſos quoque neruos robur,* (puto, *rubor*) *tegit, & decor commendat.* 769

Locóſque lætiores attentauit. Venet. *Lætiores.* Rhenani autem Baſilienſis editio habet, *altiores.* quod fortaſſe rectius.

Illam ipſam quam iactant ſanitatem, infirmi- 770

tate, & ieiunio conſequuntur. Senſu non inepto. Sed fortè non malè legitur in libris, Veneto, & Baſilienſi, *ſanitatem, ſed ieiunio conſequuntur,* id eſt, conſequuntur quidem quam iactant ſanitatem, ſcilicet puritatem orationis, ſed conſequuntur ieiunio, cùm nemo illos audiat.

Et Cicero his, vt opinor, verbis, &c. videtur legendum, *& Ciceronem.* qui ſcilicet teſtis nominatur apud Latinos, vt apud Græcos Demoſthenes.

FINIS.

1.005.582

BIBLIOTECA